BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO
31
9 C
21

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad simpliciter usum P. Fr: Nicolai fisini a Valentano Observantij Ordinij Minorum 1683.

Digitized by Google

HISTORIA

UTRIUSQUE TESTAMENTI.

Digitized by Google

HISTORIA

UTRIUSQUE TESTAMENTI

AUCTORE

CAROLO ANTONIO ERRA

Mediolanenſi Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei.

TOMUS PRIMUS.

Ab orbe condito usque ad Jacobi obitum.



VENETIIS MDCCLX.

Apud Simonem Occhi

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI
DOMINICO
URSINO

S. R. E. Cardinali Ampliſſimo.

CAROLUS ANTONIUS ERRA

Congregationis Matris Dei.

MAXIME' eſſet optandum, Eminentiſſime Princeps, ut quæ olim à Felice Mariâ Urſinâ, Fœminâ omnino cùm omni virtutum genere præſtantiſſimâ, tùm verò incredibili quadam in Deiparam pietate admirabili, noſtræ Con-

Digitized by Google

gregationi collata ſunt beneficia, ea ad omnium hominum notitiam pervenire potuiſſent. Facilè enim quiſque conjiceret, idcirco Nomini Tuo hiſtoriam hanc meam inſcriptam prodire, quòd voluerim tantæ Liberalitatis publicum, perpetuumque extaret monumentum. Fateor igitur me, meoſque ſodales familiæ Tuæ longè devinctiſſimos eſſe; idque ſi diſſimularem, ingrati animi arguerent ampla prædia, prædivites cenſus, ædes penè regiæ, gemina denique Templa ingenti pecuniarum vì, alterum ædificatum, alterum coëmptum, quibus Neapoli à Gentili illâ Tuâ aucti ſumus. Simul tamen auſim fateri, munere quod Tibi rependo, nihil potuiſſe exhiberi ſublimius, nihil auguſtius, cum de utriuſque Teſtamenti Hiſtoriâ agatur, quam per Sacros Scriptores & Prophetas, cœleſti lumine, ne fallerentur afflatos, Deus ipſe dictaverit. Commodiſſimè igitur accidiſſe mihi gratulor, ut cum maximè videretur opportunum, habeat noſtra Congregatio, quo cæteros, qui Te obſervant, meritis Tuis æqua reddendo, vincat univerſos: Utinam verò ad præſtantiam argumenti ex Sacris, Diviniſque Codicibus deducti, Scriptoris quoque acceſſiſſet eruditio, pru-

dentia,

dentia, elegantia, quas cum infinitum infra illius dignitatis faſtigia ſubſidere probè intelligam, maximo ſuffuſus pudore ad Te venire cogor. Eximiæ tamen erit Sapientiæ Tuæ alterum ab altero ſecernere, ut materiâ contentus, negligas artificium. Avidè enim annulum arripere ſolemus, ſplendidâ modò, atque illuſtri gemmâ ornatus ſit, quamvis artificis imperitiâ multum de illius ſplendore ac dignitate detractum videamus. An autem æqui, bonique feceris hanc meam in Te voluntatem cum obſervantiâ conjunctam, ne ambigere quidem permittit ſingularis illa Tua Comitas, quæ cæteras virtutes Tuas, quædam veluti Regina moderatur. Meruerunt jam Modeſtia, & Suavitas, quæ Te exornant, ut pro diuturnâ Tuæ amplitudinis incolumitate vota undique ſuſcipiantur, maximè ab iis, qui experti conſuetudinem Tuam tàm benignè cum omnibus agendi fatentur, ut ſi quis Te adire audeat, Dignitatem tuam non perceperit, ſi quis verò non audeat, Benignitatem non noverit. De aliis Tuis Virtutibus, quæ Te ad ſublime illud Purpuratorum Patrum culmen evexerunt, evectoque adſiſtunt comites & adminiſtræ, nolo multus eſſe, ne au-

ribus

ribus Tuis gravis ſim. Ita enim comparatum eſſe videmus, ut, qui maximè laudes merentur, cum eas audiunt, ſummâ moleſtiâ afficiantur. Quamobrem malo, negligentis notam ſilentio adhibito incurrere, quàm invitum Te exornando laudibus, Tuâ abuti patientiâ. Patere tamen, ut BENEDICTO XIV. Summo Pontifici gratuler vel hoc potiſſimùm nomine, quòd Virtutes Tuæ Vaticinio illius egregiè profectò reſpondeant, Teque talem adamuſſim præſtes, qualem ipſe, dum Sacrâ ab eò ornarêris Purpurâ, Tuâ indole fretus, moribus, ingenio, vidit, prædixitque futurum. Quod tamen non ſum miratus, qui ſcirem, hoc Tuo Generi divinitùs datum, ut Vobis naſcentibus Heroum numerus augeatur. Urſinorum enim gente, quæ fuit ulla unquam gens, aut in pace juſtior, aut in bello fortior, aut in utrâque fortunâ moderatior, aut in Religione ardentior? Quæ tam barbara, aut tam longinqua poteſt eſſe Regio, quò hujus gloriæ rumor, multorum voce propagatus non pervenerit? Stirps tua non tantùm inter cæteras omnes excellit, ſed per multa quoque ſæcula Tuorum Majorum nobilitatem ad priſca tempora re-

vo-

vocans, Aniciorum Faſces jure meritoque ſibi adſciſcit. Porrò ſi Electorales, Regias, Imperatorias cognationes, & affinitates, ſi Duces, Præfectos, Conſules, ſi Antiſtites, Cardinales, Pontifices, ſi Divos tandem, Divaſque, quibus Tua Familia illuſtratur, percenſere vellem, non equidem epiſtola nuncupatoria, ſed ingentis molis volumen mihi eſſet conſcribendum. Eminet verò inter alios Agnatos Tuos BENEDICTUS XIII. magnus Patruus Tuus, quem totus quà latè patet Terrarum Orbis ita luget mortuum, uti vivum admirabatur; nec injuriâ, nam quantùm ante Pontificatum contenderat, ut in ſtudio virtutis, & Sanctimoniæ omnes anteiret, tantùm poſt adeptam, & quidem contra votum, ſummam illam Dignitatem, ut se ipſum in omni laude vinceret, & ſtuduit, & conſecutus eſt; rerum humanarum contemptor, Sacris Literis mirificè addictus, Eccleſiaſticorum Jurium aſſertor acerrimus, juſtus præterea, liberalis, abſtinens, modeſtus, planè præter Dei cultum, & Religionis augmentum nihil cogitans. Hunc ſi moribus Tuis exprimerè curabis, uti certè cœpiſti, quin in futuri Principatûs ſimulachrum efformeris,

ris,

Digitized by Google

ris, nulli dubitamus. Supereſt, ut dum omen impletur, Te Tuamque Familiam Deus fortunet, quod votis omnibus adprecor.

Dabam Romæ è noſtro Collegio Sanctæ Mariæ in Porticu de Campitello, Calendis Martii, Anno reparatæ Salutis MDCCXLVI.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM

CONSTARE tibi puto, Lector humaniſſime, nihil probo homini jucundius, nihil veræ Religionis ſtudioſo utilius eſſe, quàm diu noctuque Eccleſiaſticam Hiſtoriam verſare; ex cujus quidem lectione, nedum mirè afficimur, & quaſi Divinâ quadam vi abrepti extollimur haud paulò altiùs, quàm qui rerum humanarum ſtudio tenentur; verùm & erudimur præterea plurimùm, ac veluti in depictâ tabulâ varia virtutum vitiorumque exempla intuentes, ipſi nobis actionum noſtrarum, vitæque totius inter omnes errores, omniaque pericula ad veritatem, & ſalutem, æternamque Beatitudinem dirigendæ, normam componimus. Quamobrem ſemper ita judicavi, quod tu quoque, ſi ſapis, ſentire debes, numquam meliùs operam ſuam Scriptores collocare poſſe, quàm ſi ad hujuſmodi Hiſtoriam, ſive novis rebus, ſive novâ methodo, ſive utriſque illuſtrandam, omnes ſui ingenii ſtudiique conatus intendant.

Hæc ego pro modulo meo verſans animo, primam præcipuamque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem, quæ veteri Novoque Teſtamento, à Mundi ſcilicet exordio ad deſtructionem Judaicæ Reipublicæ per Romanos uſque continetur, digerere aggreſſus ſum; in quâ non ita verſari volui, ut nuda geſta jejunamque rerum ſeriem, prout in Sacris Scripturis, Flavio Joſepho, aliiſque Authoribus

pro-

proſtant, recenſuiſſe contenti videremur; ſed opinionum varietatem, & novitatem, eruditioniſque copiam, quâ noſtra ætas præ ſuperioribus longè abundat, exhibuimus, atque etiam interpoſitâ aliorum authoritate, productiſque noſtris conjecturis, firmavimus non raro, quid inter varias plures diſſitaſque ſententias tenendum ſit, quidque abjiciendum. Cave autem credas, nos adoptaſſe opiniones illas, quas examinandas non ſuſcepimus. Sunt enim multa, quæ ſerium examen non merentur, quippe quæ ſuam abſurditatem legentibus ultrò manifeſtant; ſunt & nonnulla, de quibus poſt expenſa utriuſque partis momenta, neutrâ præponderante, mens hæret ambigua.

Quò autem ad finem nobis præſtitutum faciliùs perveniremus, conſulendi omninò erant Scriptores illi, qui in rebus ad Sacram Scripturam, vetereſque Judæos, ac primævæ Eccleſiæ Chriſtianos pertinentibus, egregiam operam navarunt; atque in noſtrum ſuccum derivare quidquid Eruditorum laboribus ſuppeditatum vidimus. Quod ſi quantum ſtudii adhibuimus in quærendis iis, quæ ſcitu digniora ſparſim in virorum Doctorum ſcriptis diſſeminata jacent, tantum quoque judicii à nobis adhibitum fuerit in illis ſecernendis, limandis, diſponendis, profectò aliquam ſpem habeo fore, ut neque nos, neque alios hujus noſtri laboris & induſtriæ pœniteat. Id autem ex eo confidentior auguror futurum, quòd dum ex variis Authorum lucubrationibus ea libarem, quæ ad noſtram hiſtoriam illuſtrandam maximè accommo-

data

data viderentur, illud ſemper præ oculis habuerim, ut quidquid laboribus & tædii in re non rarò obſcurâ & ſalebroſâ reperiretur, id totum ipſe haurirem, cæteri verò, jam emollito clivo, faciliorem haberent aſcenſum.

Cum verò turpe ſit diſſimulare, per quem maximè profeceris, multum me debere Auguſtino Calmeto, ejuſque interpreti latino Joanni Dominicò Manſi, meæ Congregationis alumno, agnoſco, ultroque fateor, omnia nos perſcrutatos fuiſſe in illius Operibus, ut ejuſdem doctrinis & eruditione hiſtoriam hanc ditaremus. Verùm ſicut clariſſimum illum Scriptorem ſecuti ſumus, cum rectè incedere illum reputavimus, ita ſi quid aberraſſe illum deprehendimus, ſolum reliquimus in errore, quorumdam hominum judicium improbantes, qui uſque eò se se illius opinionibus addixerunt, & quaſi conſecrarunt, ut nihil omninò rejiciendum putent, quod eidem probatum vident. Nos ſcimus, illum eumdem non ſemel & iterum, ſed ſæpiùs, quam in uno Opere firmaverat, ſententiam, in alio re meliùs conſideratâ, ſeu correxiſſe, ſeu inclinantem in unam partem animum in ſuſpenſionem revocaſſe. Præeuntem propterea non ſequimur, dum agit de Danielis Hebdomadibus, de Græcâ Septuaginta Senum Verſione, de poſtremo Paſchate à Chriſto celebrato, de Philoſophis Plagiariis, aliiſque nonnullis, quæ ubi neceſſarium judicabitur, noſtrum erit indicare.

Quod digeſſimus Opus nec prolixum eſt adeò, ut Lectorem deterreat, nec adeò contractum, ut minùs inſtructum dimittat; nihil enim eorum,

quæ

quæ ad rem facere vidiſſem, prætereundum duxi, ſed nihil ſimul volui, aut repetere, aut pluribus, cum paucis poſſem, ingerere. Conferendis inter ſe ſe propoſitionibus, argumentiſque multùm adlaboravimus, quo non curato arida ſanè, & pluſquam ſit, impolita evaſiſſet Hiſtoria. Quare cum Sacra Scriptura ſenſum offerret vagum & indefinitum, nec tunc præcipui illi textus occurrerent, qui ad quæſtiones movendas, & ad diſſertationes majoris indaginis tractandas nos compellerent, ſenſum determinare non refugimus, vel potiùs ex multis expoſitionibus, quas illi tribuere poteramus citra veritatis diſpendium, unam ſingularem elegimus, quæ totius orationis contextui magis congruere videretur. Quod raró alibi, non raró veró in narratione Evangelicâ, ubi Chriſti verba referimus, animadvertere poteris.

Quamvis autem illud ſemper curaverim, ut ne latum quidem unguem à veritate, atque ab illis dogmatibus, quæ ex Religionis praſcripto credere tenemur unquam diſcederem, ſi tamen inter ſcribendum aliquid excidit, quod damnari mereatur, illud ex nunc damno, corrigendumque cujuſque judicio, potiſſimùm veró S. Eccleſiæ Romanæ, ac Summi Pontificis, me ſubjicio, ſubjectumque ſemper futurum polliceor. Occurrent ſanè nomina illa Clericus, Marſhamus, Spencerus, Grotius, & alia plura, quibus nigrum obelum appoſitum ſcimus; nihil tamen ex illorum occurſu cuiquam timendum eſt, cum illos conſuluerimus in rebus tantùm criticis, tum & humanæ ac pro-

phanæ

phanæ literaturæ; rarò in Theologicis; nec unquam, niſi ubi cum Eccleſiâ Romanâ conveniunt; vel ubi illos refutare, optimum judicavimus. Ad Criticen quod ſpectat, illam adhibuimus quidem; ſed ſimul intra æquitatis ac modeſtiæ repagula inquietum illius ſpiritum coercere adniſi ſumus.

Voluiſſent noſtrates homines, ut Italicis literis Hiſtoriam noſtram conſignaremus. Ut verò morem non gererem, id in causâ fuit, quòd ſcilicet in votis eſſet, ut labor noſter non noſtris tantùm Italis, ſed & aliis quoque nationibus deſudaret; quodve viderem, quædam interdum ad nobis tractari, quæ imperitioribus tutiùs occulerentur, ne fortè nimio rerum Divinarum fulgore perſtricti, referant oculos ad res humanas, Cœleſtia illa aut intelligi poſſe deſperantes, aut certè res commentitias, & inanes fabulas exiſtimantes.

Operi nonnulla præmittere viſum eſt, quæ ad Annos & Menſes, ad rem Nummariam, ad Menſuras cùm cavas, tùm longas, & ad Chronologiam Hebræorum pertinent. Cum enim hæc in Operis decurſu ſæpiùs recurrant, ne ſemper legentibus hærendum ſit, aut à nobis jugiter non ſine morâ & tædio explicandum, quid ſibi velint, opportunum duxi, ea omnia ex implexis quæſtionibus evoluta, & in claram lucem prolata, in ipſo Operis exordio proponere opportunum duxi.

Quò tandem ex parte totum judicare poſſis, de Veteris Novique Teſtamenti Hiſtoriâ nunc primum dumtaxat tomum, res à Moyſe in Geneſi digeſtas continentem tibi exhibeo, reliquos uſ-

que ad octavum, quibus res tota peragitur, brevi exhibiturus. Quâ in parte benè ſi poſitam à nobis operam duxeris, de cæteris quin idem ſentias, haud equidem verebor; pergo enim pari ſtudio, voluntate etiam, ut mihi videor, acriori.

QUIN-

Digitized by Google

QUINTINUS RONCAGLIA

Rector Generalis Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei.

CUM Opus inſcriptum: *Hiſtoria Utriuſque Teſtamenti &c.* à P. Carolo Antonio Erra exaratum, duo ex noſtris Theologis, quibus id commiſimus, examinaverint, & in lucem edi poſſe cenſuerint, facultatem concedimus, ut Typis mandetur, ſi ita iis, ad quos ſpectat, placuerit. In quorum fidem &c.

Romæ ex noſtris Ædibus S. Mariæ in Porticu de Campitello, hac die 4. Junii 1741.

Alexander Pompejus Berti Pro-Secr.

Imprimatur ſive in Urbe ſive extra Urbem ſervatis ſervandis.

F. N. Ridolfi M. S. P. Ap.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE.

CArl'Antonio Erra Chierico Regolare della Congregazione della Madre di Dio ſupplicando eſpone a V. Em. come deſidera dare alla luce una ſua Opera, intitolata: *Hiſtoria Eccleſiaſtica à Mundi exordio ad uſque Hieroſolymæ per Romanos excidium*. Pertanto ricorre umilmente da V. Em. acciò ſi degni commettere la reviſione a chi meglio le parerà, ut Deus.

Admodum Reverendus Pater Gerardus de Angelis Ordinis PP. Minimorum S.Th. Profeſſor revideat, & referat. Datum Neapoli hac die XXII. Martii 1746.

C. EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

Julius Nicolaus Epiſcopus Arcadiop. Canonicus Deputatus.

EMI-

EMINENTISSIME PRINCEPS
AC DOMINE.

Legi librum, cui Titulus: *Hiſtoria Eccleſiaſtica a Mundi exordio &c.* quod argumenti genus, cum a quamplurimis vario dicendi ſtylo, & perabundè pertractatum ſit, vix ut aliquid deſiderandum videatur; Vir tamen clariſſimus noſter mirum in modum elaboratum Hiſtoriæ ſuæ opus, & latina elegantia perpolitum, tanta induſtriâ, & ingenii felicitate perfecit, ut qua Polemicè, quave Criticè, Hiſtoria iſthæc in aliis exuberàt ſcriptoribus, in unum omnia perſtringens, unico veluti ſub intuitu legentibus ſubjiciat; eorumque deſideriis obſecundet. Hinc nihil in eo eſſe, quod eximiis laudibus dignum non ſit deprehendi: nihil, quod a Catholica Fide diſcedens, bonorum mores vel leviſſimè inficiat: Typis propterea mandandum cenſeo, ſi &c.

Dabam Neapoli ex ædibus PP.Minimorum vulgo de Stella III. Calendas Octobris. Anno Chriſtianæ Epochæ CIϽIϽCCXXXXVI.

E. T.

Humillimus & obſequentiſſ.Servus
Fr.Gerardus de Angelis.

Attenta approbatione Domini Reviſoris imprimat.
Datum Neapoli die 5. Octobris 1746.
C. EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

S. R. M.

SIGNORE;

CArl'Antonio Erra Chierico Regolare della Congregazione della Madre di Dio ſupplicando eſpone alla M. V. come deſidera dare alla luce una ſua Opera, intitolata *Hiſtoria Eccleſiaſtica à Mundi exordio ad uſque Hieroſolymæ per Romanos excidium*. Per tanto ricorre umilmente a piedi di V. M. acciò ſi degni commettere la reviſione a chi meglio le parerà, ut Deus.

Admodum Rev. D. Jacobus Martorelli in hac Regia Studiorum Univerſitate Græcæ Linguæ Profeſſor Interinus revideat, & in ſcriptis referat. Neapoli die 1. *Aprilis* 1745.

C.Galianus Archiep.Theſſal. Capel.Major.

S.R.M.

S. R. M.

Τῇ ἐκδόσει *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ab Mundi exordio uſque ad Hieroſolymæ per Romanos exordium*, ad quam aggreſſus eſt diligentiſſimus P. Car. Antonius Erra, nihil obſtandum eſſe cenſeo, jura enim Principum in totius operis continuatione ſarta eſſe conteſtor. Neap. ante die IV. Kal. Oct. 1746.

Jacobus Martorellius.
Reg. Grec. Ling. Interpres.

Die 25. menſis Novembris 1746.

Viſo reſcripto Suæ Regiæ Majeſtatis ſub die 20. currentis menſis, & anni, ac approbatione facta per Rev.D.Jacobum Martorellium de commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris prævio ordine præfatæ Majeſtatis.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbatione dicti Reviſoris. Verùm in publicatione ſervetur Regia Pragmatica hoc ſuum, &c.

MAGIOCCO FRAGGIANNI
CASTAGNOLA ANDREASSI.

Ill.Marchio de Ipolito P.S.R.C. & Ill.Marchio Danza tempore ſubſcr. imp.

Athanaſius.

Regiſtrata in Reg.Regalis Juriſdict. *fol.* 14.

Larocca.

IN-

INDEX CAPITUM

§. I. ANni, Menſes, Hebdomades, Dies, horæ, quibus Hebræi utebantur. pag. 1.
§.II. Nummi apud Sacram Scripturam noti. 8.
§.III. Menſuræ longitudinis, de quibus agitur in Sacrâ Scripturâ. 18.
§.IV. De menſuris cavis; quas Sacra Scriptura commemorat. 23.
§.V. Tabula Chronologica in Pentateuchi Hiſtoriam. 28.

LIBER PRIMUS.

Cap.I. MUndi Creatio. 42.
Cap.II. Primi Parentes creantur. Præadamitarum fabula. Angeli. Animæ. Sabbathum. 49.
Cap.III. Paradiſus Terreſtris. Variæ de illius ſitu ſententiæ. Arbor vitæ, & Arbor ſcientiæ. 65.
Cap.IV. Tentatio Serpentis. Adami, & Evæ crimen. Pœna illis inflicta. Mundi corruptio. 73.
Cap.V. Primorum Parentum Filii, Cain, & Abel. Eorum geſta. Caini poſteritas. Lamechi polygamia & Homicidium. 85.
Cap.VI. Sethi ortus. Patriarcharum antediluvianorum genealogia. Hebræus, Samaritanus, Græca Septuaginta Verſio, & Joſephus in annorum ſupputatione non conveniunt. Patriarcha-

Digitized by Google

charum anni duodecim menſibus conſtabant: Unde primorum hominum diuturnitas. 97.
Cap.VII.*Patriarcharum antediluvianorum geſta. Adami, & Evæ Salus, Sepultura, Libri. De Lilith primâ Adami uxore fabula. Sethi viſiones, & Libri: Columnæ Sethi filiis attributæ. Literarum origo. Enos omnium primus Nomen Domini invocat. Henochi Translatio, & Reditus in Mundi fine. Ejus Prophetia a S. Judâ laudata, & Liber ab Eccleſiâ proſcriptus. Mathuſala ante Diluvium ſublatus. Quid nomen Noë ſignificet.* 108.
Cap.VIII. *Connubia inter Filios Dei & Filias Hominum, ex quibus orti Gigantes. Deus Diluvium minitatur, jubetque Noë, ut Arcam conſtruat; quæ quidem Arca latè deſcribitur: Ex Animantibus in Arcam introductis alia pura, alia impura.* 126.
Cap.IX. *Noë Homines a vitiis fruſtra deterret. Præmiſſis in Arcam Animantibus Noë cum familiâ ſuâ eò ſe recipit. Aquæ Terram operiunt. Varii de Diluvio Calendarii. Diluvium fuit univerſale. Recentiorum de Diluvio ſyſtemata.* 138.
Cap.X. *Fœdus Dei cum Noë, cujus appendix carnis cum ſanguine interdictio, teſtis verò Iris. Noë inebriatur. Chanaan maledicitur. De Semo & Japheto vaticinia. Noë moritur diviſâ inter filios Terrâ univerſâ. Præcepta Noachida. Noë ſepultura. De Noë ejuſque filiis fabulæ.* 154.
Cap.XI. *Turris Babelica: Linguarum confuſio. Va-*

Variæ de hac confuſione ſententiæ. Quænam Lingua omnium prima. Unde Lingua Hebræa id nominis ſortita ſit. Quot Linguæ in Mundo. 166.

Cap.XII. *Poſteri Noë, ex quibus Gentes omnes propagatæ ſunt.* 179.

Cap.XIII. *Poſt diluvianorum Patrarcharum ſucceſſio uſque ad Abrahamum. Extiteritne Caïnan? Utrum naſcente Phaleg Terra diviſa fuerit? Annus Abrahami natalis.* 209.

LIBER SECUNDUS.

Cap.I. *Abrahamum aliquando idololatram fuiſſe, cenſent nonnulli. Unde Idololatriæ origo? Duplex Abrahami vocatio, altera ex Ur, altera ex Haran. Pergit in Ægyptum; ex quâ reverſus Lothum liberat, & à Melchiſedecho, de quo plura diſputantur, benedicitur.* 217.

Cap.II. *Fœdus Dei cum Abrahamo, cui Iſmael filius ex Agar inferioris ordinis uxore naſcitur. Abrahami & Saræ nomina mutantur: Lex Circumciſionis, de quâ plura recenſentur.* 241.

Cap.III. *Angeli ortum Iſaaci promittunt. Sodomæ incendium. Lothi uxor in ſtatuam ſalis convertitur. Ejuſdem viri cum filiabus inceſtus. Abimelechus, qui Saram rapuerat, corripitur.* 254.

Cap.IV. *Oritur Iſaac. Agar & Iſmaël ejiciuntur; cujus viri poſteritas recenſetur. Fœdus*

Abi-

Abimelechi cum Abrahamo : Iſaacus ad ſacrificium adducitur . Saræ obitus . 266.

Cap.V. *Nachor Poſteritas . Rebecca in Iſaaci conjugem deligitur . Cethura Abrahami uxor . Hujus Patriarchæ obitus , & laudes . Eſau & Jacob naſcuntur ; quorum major minori primogenita vendit .* 279.

Cap.VI. *Raptui expoſita Rebecca liberatur . Cum Abimelecho Iſaac fœdus init . Connubium Eſau . Jacob benedictionem ſurripit , & fugit in Meſopotamiam .* 291.

Cap.VII. *Jacob Scalam videt . In Haran veniens ſeptennio ſervit pro ducendâ Rachele , cui ſubſtituitur Lia . Rachel Balam , Lia verò Zelpham addunt Jacobo ; cujus filii recenſentur . De Mandragoris lis .* 299.

Cap.VIII. *Jacob cum Labano convenit , & arte diteſcit . Fugit , fugientemque Laban aſſequitur . Rachel Idola furatur . Fœdus inter Jacobum & Labanum . Eſau occurrit Jacobo ; qui poſt luctam cum Angelo Iſraël vocatur . Jacob emit agrum in Chanaanitide , ubi ſedes firmat .* 307.

Cap.IX. *Dina violatur . Sichimitæ circumciſione initiati interficiuntur : Jacob in Bethel Altare Deo erigit . Nato Beniamino , moritur Rachel . Obitus Iſaaci . Genealogia Eſau .* 322.

Cap.X. *Simultas filiorum Jacobi in fratrem Joſephum , qui liberatus a nece , venditur , ducitur que in Ægyptum . Phares & Zara Judæ oriuntur ex Thamar . Joſephus heræ ſollicitanti reſiſtit ; quare fœminæ illius operâ adigitur*

in

in carcerem; è quo per Pharaonem educitur poſt interpretata quædam inſomnia. Aſeneth in uxorem ducit. 332.

Cap.XI. *Fratres Joſephi in Ægyptum venientes, veluti exploratores excipiuntur. Domum remiſſi, redeunt in Ægyptum unâ cum Beniamin; quibus variè tentatis noſcendum ſe præbet Joſephus. Iterum domum regreſſi, iterum in Ægyptum deſcendunt, patrem Jacobum ſecum ducentes, quibus Terra Geſſen conceditur.* 345.

Cap.XII. *Jacobus morti proximus Ephraimum præfert Manaſſi, legat Joſepho agrum propè Sichem, ſua ſingulis filiis fata prædicit. Celebris de Meſſiæ adventu prophetia. Funus Jacobi: Joſeph obit.* 359.

HI-

Digitized by Google

HISTORIA
UTRIUSQUE TESTAMENTI.

Anni, Menſes, Hebdomadæ, Dies, Horæ, quibus Hebræi utebantur.

§. I.

I. NIHIL Anno magis ambiguum; apud gentes enim quaſdam obtinuit olim, ut Annus die definiretur, apud alias hebdomadâ, apud alias menſe; crevit apud alias ad duos menſes, apud alias ad tres, ad quatuor, ad ſex, ad decem, ad duodecim. Anni tamen Hebræorum duodecim ſemper menſibus conſtitêre; totidem enim numerantur in anno illo infauſto, quo Diluvium contigit; a quo ſive qui præceſſerint, ſive qui ſubſecuti ſunt, nullâ ratione oſtenderentur diverſi (*a*). *Annus Hebræorum 12. menſibus definitus.*

(a) *Calmet. V.* Annus. *Vide infra l.1. c.6. n.9.*

Digitized by Google

Duplex annus Sacer & Civilis. II. Duplex autem annus Hebræis decurrebat, quorum alter *Sacer* appellatur, alter *Civilis*. Annus civilis ab Autumno exordiebatur, menſe Tizri, qui noſtro Septembri utcunque reſpondet; eoque ante exitum ex Ægypto utebantur. Poſt exitum verò, illum non rejecêre, ſed adoptarunt præterea annum ſacrum, ad Templi ſolemnitates accommodatum, quem æquinoctio verno, menſe Niſan, in Martium incidente, auſpicabantur; cui conſuetudini hodieque adhærent (*a*).

Anni Hebræorum partim Solares, partim Lunares III. Hebræorum anni antiquiſſimi Solares fuiſſe creduntur, qui dies 360. complecterentur. Quin ſi conſtituamus cum nonnullis doctis viris, Hebræos eamdem omninò ſervaſſe anni diſpoſitionem, quam ab Ægyptiis, inter quos diù moram illi traxerunt, ſervatam ſcimus, anno illorum tribuendi erunt dies 365. Ægyptii enim 30. dies in ſingulos menſes computabant, excepto duodecimo, cui quinque addebant, ut annuus Solis curſus compleretur. Poſt captivitatem Babylonicam Judæi, utpote parva gens in medio frequentiſſimarum nationum, moribus eorum, quibus ſubdebantur, in dirigendis anni temporibus ſe cònformare coacti ſunt. Primum igitur ad Chaldæos, deinde ad Perſas, tandem ad Græcos acceſſerunt. Quis tamen in eâ re Chaldæorum & Perſarum mos eſſet, non ſatis conſtat. Illud autem ſcimus, ætate Authoris Eccleſiaſtici, Macchabæorum, Joſephi & Phi-

(a) *Exod.XII. Vide infra l.3.c.2.n.15.*

& Philonis, Græcorum conſuetudini Judæos inhæſiſſe, qui annos juxta Solem, menſes verò juxta Lunam agebant (*a*).

IV. Lunares iſti menſes 29. diebus cum dimidio conſtabant, ſivè, ut accuratius loquar, alterno ordine 29. & 30. diebus, ut menſis cavus pleno ſuccederet. Novilunia, Græco vocabulo *Neomeniæ* dicta, in exordium ſingulorum menſium recurrentia, non à conjunctione Lunæ cum Sole, ſed ab ejus phaſi, ſive apparentiâ ſupputabant; cujus phaſis inſtanti diligentiùs obſervando, ferunt, certos viros in editis quibuſdam ſpeculis deſtinatos fuiſſe, qui ſtatim ejus rei nuncium ad Sinhedrium deferrent; ex cujus deinde juſſu buccinarum clangore menſis exordium vulgaretur (*b*). Hæc tamen ſupponunt, Calendarium in uſum Templi digeſtum non fuiſſe; quod omnibus non probatur (*c*). *Lunares menſes.*

V. Cùm 12. Lunares menſes ſummam 354. dierum, & ſex horarum conficiant, hinc Judæorum annus 12. circiter diebus Romano brevior erat. Redigendis autem in ordinem æquinoctiis, quibus ex diſcrepantiâ anni ſolaris, & lunaris exorbitantibus, novilunia à primâ menſis die revellebantur, Judæi ſingulis trienniis decimumtertium menſem intercalarem appellatum *Ne-Adar*, ſive *Secundum Adar*, addebant; ex *Menſis intercalaris.*

A 2

(a) *Eccli.XLIII.6.Joſeph. Antiq. l. 3. c. 10. Philo de vitâ Moyſis l.3.Gemin.Iſago.c.6.*

(b) *Lamy Introd. ad Bibl.Scaliger de Emend. temp.*

(c) *Calmetus.*

ex quo ſolares & lunares anni iterum conciliabantur; cùm 36. menſes ſolares 37. lunaribus congruant. Nos etiam ſimili de cauſâ ſingulis quadrienniis diem biſextilem Februario addere ſolemus. Porrò illam intercalationem Sinhedrini Patres dirigebant, ac menſis intercalaris inter Adar & Niſan conſtituebatur, ut Paſcha ſemper in plenilunium poſt æquinoctium vernum incideret. De hoc tamen menſe intercalari, deque menſibus, cavis & plenis nihil in Scripturâ, ſed tantùm in Talmud, & aliis Rabbinorum libris.

Nomina & ordo menſium Hebræorum.

VI. Apud Moyſem unus tantùm menſis, *Abib* ſcilicet, ſuo nomine diſtinctus occurrit (*a*), qui deinde Niſan dictus eſt. Cæteros verò menſes numquam Moyſes, niſi nomine primi, ſecundi, tertii &c. deſignat. Sub Salomone tres leguntur menſes proprio nomine deſignati, nempe *Sio* vel *Siſ*, *Bul*, ac *Ethànin* (*b*); quorum primus reſpondet Fiar, alter Marſchovàn, ultimus Tizri. Poſt captivitatem Chaldaica, & Perſica menſium nomina audiri cœperunt; quorum ſeriem, juxta Anni Sancti & Civilis ſucceſſionem, ſubjicimus.

No-

(a) *Exod. XIII.* 4. & *alibi*.

(b) 3. *Reg. VI.* 1. 8. & *VIII.* 2.

Nomina menſium Hebræorum juxta ordinem Anni ſancti			*Nomina menſium Hebræorum juxta ordinem Anni civilis.*		
1	Niſan reſpond.	Martio.	1	Tizri reſp.	Septembri.
2	Fiar	Aprili.	2	Marſchevan	Octobri.
3	Sivan	Majo.	3	Casleu	Novembri.
4	Thammuz	Junio.	4	Thebet	Decembri.
5	Ab	Julio.	5	Sebet	Januario.
6	Elul	Auguſto.	6	Adar	Februario.
7	Tizri	Septembri.	7	Niſan	Martio.
8	Marſchevan	Octobri.	8	Fiar	Aprili.
9	Casleu	Novembri.	9	Sivan	Majo.
10	Thebet	Decembri.	10	Thammuz	Junio.
11	Sebet	Januario.	11	Ab	Julio.
12	Adar	Februario.	12	Elul	Auguſto.

VI. Hebræi tria Hebdomadarum genera recenſebant ; I. Hebdomadas dierum, ab uno Sabbatho ad aliud deductas ; II. Hebdomadas annorum, ab uno anno Sabbaticho ad alium ſupputatas, ac ſeptem annos complectentes ; III. Hebdomadas ſepties ſeptem annorum, ſeu 49. annorum, ab uno ad aliud Jubilæum protractas. Ratio autem ſupputandi per hebdomadas, in memoriam creati intra ſeptem dies Mundi, apud Hebræos, alioſque Orientales nunquam non obtinuit, Latinis viciſſim menſium ſpatia per Kalendas, Nonas, & Idus diſpeſcentibus : Porrò prima dies hebdomadæ dies Dominica nobis deinde dicta, Hebræis *Sabbathi* dicebatur; ac ita *ſecunda Sabbathi*, *tertia*, *quarta*, *quinta*. Sexta verò appellabatur *Paraſceves*, ſcilicet *præparatio* ; parabantur enim eâ die cibi, Sabbatho die feſto, & feriato comedendi. Inter- *Hebdomadæ.*

 dum

dum tamen *prima Sabbathi* eſt ipſa ſexta hebdomadæ dies, ſive dies Veneris, *ſecunda* verò *Sabbathi*, eſt dies Sabbathi: qua phraſes inde originem ſumpſerunt, quòd Hebræorum Sabbatha quodammodo ex duobus diebus, ſextâ ſcilicet in veſperâ, & ſeptimâ in mane, conflarentur.

Dies. VII. Dies apud Hebræos, tam in ſacro, quàm in civili, à veſperâ in veſperam ducebantur (*a*). Geminæ autem in ſingulis diebus veſperæ diſtinguebantur (*b*); altera, cùm Sol circa horam nonam declinaret, altera, cùm occideret; quo temporis ſpatio ter, ajunt Hebræorum doctores, tubâ Sabbathum indicebatur; & ad primum quidem ſonum labor in agris intermittebatur, ad alterum homines ceſſabant ab opere in Urbibus, ad tertium tandem accendebantur lucernæ in multam noctem paratæ: Poſt Judæam à Romanis ſubactam tres apud Hebræos obtinuiſſe dies ferunt, *Sacros* ſcilicet, *Civiles* & *Naturales*; Diebus igitur feſtis priſtinus à veſperâ in veſperam mos ſervatus eſt. Civiles dies à mediâ nocte ducti parem exitum habebant. Naturales dies in mane protrahebantur.

Horæ. VIII. Horologia & Horarum ratio apud Hebræos Rege Achaz (*c*) vetuſtiora non apparent; quin & penitus latet, quid eſſet, quâve arte inſtructum, illius Regis horologium. Scimus

(a) *Levit. XXIII.* 32. (c) 4. *Reg. XX.* 9.
(b) *Exod. XXIX.* 14.

mus autem, Hebræos in tres partes diviſiſſe diem quamlibet, in mane ſcilicet, in meridiem, & in veſperam. Noctes etiam in tres partes diſpeſcebant, in veſperam nempe, in mediam noctem, & vigiliam matutinam. Si quando in Libris Moſaicis, aliiſque Hebræo ſermone ſcriptis, occurrat nomen *Hora*, perinde valet ac certum quoddam tempus, vel anni tempeſtas, ut apud Homerum & Heſiodum uſurpatum eſt. Diei per horas diviſionem in Ægypto priùs, quam in reliquis Orbis regionibus obtinuiſſe, vel eo ipſo Horæ nomine diſcimus; *Hora* enim ab *Horo* eſt, quod Solis nomen ineſt apud Ægyptios. Ferunt, Mercurium Triſmegiſtum, Moyſe recentiorem, ex Cynocephalo duodecies in die æquis temporis intervallis mingente, pariterque certis diei articulis ululante, horarum diviſionem didiciſſe (*a*). Ætate Jeſu Chriſti Hebræos Græcorum & Romanorum rationem in dividendis diebus ſervaſſe, ex Evangelio compertum habetur. Dividebant igitur dies in horas duodecim, inter ſe quidem æquales, at ex variâ dierum viciſſitudine pro temporum diverſitate inæquales; eademque in dividendis noctibus ſervata conſuetudo. Duodecim diei horas quatuor quadrantes æquè ſibi vindicabant; unde illa horarum diviſio, Primà, Tertia, Sexta, Nona. Prima cum ortu Solis componebatur, ſexta cum meridie; ex quibus ſtatim intelligi-

 tur,

(a) *Lament. II. 19. Judic. VII. 19. Exod. XXIV. 24. Calmet. Diſquiſ. in Chronol.*

tur, quænam eſſet tertiæ & nonæ ſedes. Diem claudebat hora duodecima. Quando igitur Chriſtus ait: *Nonnè duodecim ſunt horæ diei* (a); de Solis occaſu, ſive diei exitu loquebatur. Noctem pariter quatuor partes, vigiliæ appellatæ, dividebant, tribus horis in ſingulas aſſignatis.

Nummi apud Sacram Scripturam noti.

§. II.

Unde pecuniæ nomen. Variæ tranſigendi rationes.

I. Vetuſtiſſima tranſigendi apud homines ratio commutatione mercium perficiebatur. Quidquid ſibi redundabat uſui ſuperfluum, alteri dabant, ut ab altero viciſſim quidquid maximè ſibi expediret, acciperent. Tum in commercium invehi cæpta ſunt metalla, ceu quorum æſtimatio magis obtineret apud homines. Poſtremò omnium ſuccurrit, metalla illa certâ quâdam figurâ, ſive notâ ſignare, certo pondere, certo gradu, ut & valor ipſorum determinaretur, & commodis negociatorum ſerviretur, ne ſemper ſive metalli pondus, ſive valorem examinare cogerentur. Porro hæc metallorum ſegmina, publicâ notâ percuſſa, *Nummi & Pecunia* dicta fuere. Nummi quidem, à Græcâ voce *Nomu*, hoc eſt, *Lege*, quod pecunia legibus ſit conſtituta. Pecunia verò, ſive quia primò pecorum imagine fuerit ſignata, ut vult

(a) *Jo. XI. 9. Matth. XIV.*

vult Plinius; ſive, ut placuit Varroni, quod divitiæ in pecorum numero olim computarentur; ſive tandem juxta Donatum, quod antiquitus ex pecoris corio nummi conficerentur.

Prima apud Hebræos moneta Siclus.

II. Calmeto nulla eſt vetuſtior moneta, ad Hebræos quod ſpectat, Siclis & hemiſiclis, à Simone Macchabæo, permittente Antiocho Sidete Syriæ Rege, percuſſis (*a*). Profectò de monetâ ſignatâ apud Ægyptios, Phænices, Arabes & Syros, gentes Judeæ finitimas, & commercio maximè junctas, ante expeditiones Alexandri Magni nihil occurrit (*b*) Mos pariter ille metalli ſignandi non ita multò ante eam ætatem ex Perſide & Græciâ prodiiſſe creditur, cum nulli nummi vetuſtiores, ſive ſcriptorum libris, ſive in Cimmeliis, appareant. Signandæ autem monetæ uſum priùs apud Hebræos, quàm apud gentes reliquas obtinuiſſe, vix, ac ne vix quidem crederetur. Nomina illa *Siclus*, *Talentum*, *Gerah*, quæ in vetuſtioribus Hebræorum libris leguntur, ponderum eſſe poſſunt nomina, non monetarum; neque ſtatim ac moneta aliqua vulgaris ſive publica appellatur in Sacrâ Scripturâ (*c*), ſignata continuò reputanda eſt; cum metallum grave ſtaterâ publicâ appenſum id nominis adſciſcere ſibi potuerit. Si quæ numiſmata Abrahami, Moyſis, Joſue, Davidis, Salomonis, Mardochæi oſtenduntur, Antiquariorum

(a) I. Macch. XV. 6.

(b) *Calm. diſſert. de Monetæ ſignatæ veſtate*.

(c) *Gen. XXIII. 15.*

rum omnium conſenſu ſuppoſititia pronunciantur, nec immerito; nam recenti cuſa ſunt metallo; atque pucrilibus inſculpta ſæpe emblematibus deprehenduntur. Verùm his, quæ in utramque partem verſari poſſunt, omiſſis, ad nummos veniendum eſt, de quibus mentio aliqua in ſcripturâ occurrit. In pretio autem aſſignando Calmetum & Beverinium, meæ Congregationis alumnum, in ſuo de Ponderibus & Menſuris Syntagmate, à Sebaſtiano Pauli, ejuſdem Congregationis ſcriptore, edito auctoque, potiſſimùm ſequar.

Argenteus. III. Argenteus (*a*) pondere erat hemiunciæ, ſive quatuor drachmarum, æquabat autem valorem quatuor Juliorum. Sunt qui, nummum hunc duas tantum drachmas pependiſſe tradant. Verum illi de Drachmâ Hebraicâ loquuntur, quæ Atticâ ſive Romanâ duplò major erat. Niſi mavis dicere, diverſum fuiſſe apud Hebræos Argenteum, alterum ſcilicet duarum, alterum quatuor Drachmarum. Porrò Argenteus, Siclus, & Stater ejuſdem ponderis & valoris reputantur. Aliquando apud Authores occurrit Argenteus prò Minâ, quæ 100. Drachmarum, ſive denariorum pretio computabatur.

Beka ſive Hemiſiclus aut Didrachma. IV. Quod Vulgatus Interpres Hemiſiclum vocat, Hebræus *Beka* appellat (*b*). In Novo autem Teſtamento Didrachma dicitur (*c*). Valor

(a) *Gen.XXXVII.*28. *Zach. XI.* 13. *Matth. XXVI.* 15.

(b) *Exod.XXX.* 13.

(c) *Matth. XVII.*23.

lor hujus monetæ duos Julios refert; quem tributum Judæi ſinguli in Templi ſervitium impendebant; quo quidem onere Chriſtus neque ſe, neque Apoſtolum Petrum levare voluit.

V. Darcmonim, ſive Adarcmonim, quæ ab aliis *Drachmæ*, ab aliis *Solidi*, ab aliis *Aurei*, *Minæ*, *Nummi*, redduntur (*a*), ipſiſſimi *Darici*, nummi ex ſolido auro, à Dario Hyſtaſpis Perſarum Rege, vel à Dario Medo cuſi, putantur, vel ſaltem Daricorum nomina ſubſtituta aliis vocibus Hebraicis, nihil aliud facilè exprimentibus, quam rudis metalli pondus. Valorem autem Darici æquaſſe 20. Drachmas, totidem Juliis reſpondentes, ſcriptores vulgò ferunt. *Darcmonim ſive Adarcmonim.*

VI. Denarius (*b*) monetæ Romanæ genus erat ex argento, ſic dicta, quod ab initio decem Aſſibus conſtaret; unde & *Decuſſis* nomen habuit. Authores hæc duo Denarium & Drachmam pro uno eodemque ſumunt; quare pondus illius eſt octava pars unciæ, valor verò Julius. Nonnunquam pro monetâ utcunque uſurpatur. Denarius quatuor *Sextertiis* minoribus æquivalebat, *Sextertium* verò majus 250. denariis conſtabat. *Denarius.*

VII. Dipondium, ſeu Duopondium nummus erat duorum Aſſium, idem proinde cum *Beſſe*, & *Deſſe*. Monetam tamen, quam S. Lucas Dipondium vocat, S. Matthæus, Aſſem appel- *Dipondium & As.*

(a) *I. Paral. XXIX.* 7. 1. *Eſdr.* 11. 69. *VIII.* 27. 2. *Eſdr. VII.* 70.

(b) *Marc. XII.* 15. *Luc. XX.* 24.

pellat (*a*). Facilè Evangeliſtæ nomina illa pro pecuniolâ, quæcunque illa ſit, uſurpant. As, quaſi Æs, ab Ære dictus, olim ab exordio librâ pendebat, ut pro eodem acciperentur hæc nomina, *As*, *Æs*, *Libra*, *Pondo*. At ſucceſſu temporis Aſſes ex libralibus facti ſunt ſextantarii, id eſt, duarum unciarum; ex ſextantariis unciales, ex uncialibus ſemiunciales, manente tamen pretio prioris Aſſis, tanto Reipublicæ lucro, ut eâ portione librali æris, quâ priùs unus tantùm aſſis cudebatur, deinde viginti-quatuor cuderentur. Dipondii valor erat quinta denarii pars, æquabatque proinde duos nummulos, quos *Bajocchos* vocamus. Ultra pecuniariam ſignificationem, As etiam dicitur quæcunque res integra, ſive continuis, ſive diſcretis partibus conflata, quam deinde in partes duodecim dividimus. Verùm de hac diviſione nihil in ſcripturâ (*b*).

Drachma. VIII. Drachma (*c*) celeberrimus Athenienſium nummus argenteus, pondere octavæ partis unciæ, cujus pretium idèm habetur cum valore Denarii & Julii, ut dictum eſt.

Keſita. IX. Keſita vox, quæ in Geneſi & Job juxta Hebræum legitur, *oves*, ſive *agni* redditur in Vulgatâ (*d*). Ita Jacob centum agnis campum emit; & quiſque ex amicis Jobi poſt illius valetudi-

(a) *Luc.XII. 6. Matth. X. 29.*
(b) *Bever. V. As.*
(c) *Matth. XII. 43. Luc. XV. 8.*
(d) *Gen. XXXIII. 19. Job. XLII. 11.*

tudinem; agnum illi, ſive ovem dono dedit. Alii, & quidem non rari, deſignatam malunt monetam, agno vel ove diſtinctam. Hæc tamen contraria ſunt iis, quæ ſupra ex Calmeto firmavimus. Tertia ſententia, eidem Authori aſſerta, vocem Keſita auri argentique burſam interpretatur. David Kimchi vocem illam ad *Gerah*, minimi pretii monetam, trahit. Jonathan & Targum Jeroſolymitanum Margaritam intelligunt. Putat tandem Pelleterius, Keſita fuiſſe daricum, hinc ſagittario, quem *Keſeth* Hebræi vocant, inde agno, ſive ove ſignatum.

X. Mina, ſive Mna, Hebraicè Min, genus eſt monetæ, quæ ex Prophetâ Ezechiele ſiclos 60. æquabat (a). Sunt qui velint, fuiſſe apud Hebræos quadruplicem Minam; primam 15. ſiclorum; alteram 20.; tertiam 25.; ultimam tandem, quæ reliquarum omnium ſummam, 60. comprehenderet. Hæc illi in ipſo Ezechiele videre ſibi videntur. *Viginti Sicli*, inquit Propheta, *& viginti quinque*, *& quindecim Sicli Mnam faciunt*; quibus omnibus computatis ſumma 60. Siclorum efficitur. Hactenus de Minâ Hebraicâ, quam vetuſtiores Sacræ Scripturæ Libri exhibent. Quod verò ſpectat ad Minam Græcam, ſive Atticam, de quâ in Macchabæis & in Novo Teſtamento, centum drachmas, libram ſcilicet unam & ſemiunciam continebat. Communiter tamen apud Authores, Mina Græca idem pendet ac Libra ſimplex & Pondo. *Mina.*

(a) *Ezech.XLV.* 12.

do. Duplex autem erat Mina, aurea ſcilicet, & argentea; hæc centum Juliis reſpondebat, illa centum aureis, decem juliis in ſingulos computatis. Olim enim Aurum Argento in decuplâ valoris ratione præſtabat. In quo tamen ſæpius variatum eſt, adeò ut nunc Aurum ad Argentum computetur, ut $15\frac{1}{2}$ ad 1. Vide, quæ agentes de ſiclo, dicemus.

Minutum. XI. Quinquageſimâ circiter Julii parte Minutum valebat (*a*).

Obolus. XII. Obolus duplex erat, Atticus & Hebraicus. Atticus idem valet ac ſexta Drachmæ ſive Julii pars; Hebraicus verò eſt vigeſima pars Sicli (*b*). Cum autem Siclus quatuor Drachmis conſtiterit, ſequitur, Obolum Hebraicum fuiſſe Attico majorem, utpote quinta tantùm pars Drachmæ. Obolus in ſcripturâ appellatur *Gerah*; cujus figuram oblongam, & pyramidali ſimilem ab initio fuiſſe, tradunt nonnulli.

Pondo & Libra. XIII. Pondo idem pendebat, ac As & Libra. Eſt autem Libra notiſſimum ponderis genus, duodecim conſtans partibus, quæ Unciæ appellantur. Libra Romana antiqua noſtrati omninò reſpondet, ut conſtat ex Congio Romæ apud ædes Farneſianas ſervato. Libra verò Græca, Mina appellata, Romanam ſemiunciâ ſuperabat, ut agentes de Minâ obſervavimus.

Pondus Sanctuarii, & Regis. XIV. Pondus Sanctuarii ſæpe ob oculos ponit Moyſes (*c*). In Libris pariter Regum mentio

(a) *Marc.XII.*
(b) *Exod.XXX.*
(c) *Exod.XXX.13.24. Lev.LI.5.Num.III.50.*

tio fit de *Pondere Publico*, ſive, ut eſt in Hebræo, de *Pondere Regis* (a). Viri plures docti autumarunt, pondus Sanctuarii fuiſſe communi & vulgari majus. Alii viciſſim docuere, pondus commune ponderi Sanctuarii præſtaſſe. Committuntur illi pariter adinvicem in præſcribendâ utriuſque ponderis qualitate; Tenent enim nonnulli pondus Sanctuarii & pondus Regis ponderi externarum gentium, Ægyptiorum, Chananæorum, Syrorum, oppoſitum fuiſſe; defendunt verò cæteri, pondus Regis eſſe pondus Babylonicum, & pondus Sanctuarii, Iudaicum. Verum non deſunt ex optimis Interpretibus; qui tueantur, diſcrimina illa eſſe phantaſiæ ludibria, indicari autem diverſis illis phraſibus unum idemque pondus ſervatum in Sanctuario, & aliquando etiam in domo Regis, ſive publico Palatio, ceu matricem & normam, ad quam vulgaria & communia eliminandis fraudibus exigerentur, probarenturque; qui mos obtinuit etiam apud alias gentes; unde de Romanis cecinit Fannius:

Amphora fit cubus, quem ne violare liceret,
Sacravêre Jovi Tarpejo in monte Quirites.

XV. Siclus, pondus, & nummus Hebræorum, cujus radix è verbo *Schakal*, ponderare. Porrò Sicli nomen de omnium rerum ponderibus, ſive metalli, ſive crinium, ſive aromatum, ſive alterius cujuſcunque rei uſurpatur. Pondus illius dimidium unciæ, valor verò quatuor Julii. *Siclus.*

Pre-

(a) 2.*Reg.XIV.*16.

Pretium Sicli aurei duodecim Siclorum argenteorum æquiparatum videtur in Sacrâ Scripturâ (*a*): ex quo habetur, aurum interdum habuiſſe duodecuplam proportionem ad argenti valorem. Pelleterius tamen Sicli aurei pondus ponderi Hemiſicli argentei æquat. Siclus pendebat 20. Obolis Hebraicis (*b*); cui tamen tribui debent 20. Attici; ſiquidem Obolus eſt ſexta pars Drachmæ, Siclus autem quatuor Drachmas habet. Viſuntur Sicli, qui præferunt ex una parte vaſculum, quod creditur Urnam Mannæ, Dei juſſu in Arcâ reconditam (*c*) ſignificare; ex alterâ verò parvam regulam in tres flores deſinentem, non obſcurum Virgæ Aaronicæ typum. Circa vaſculum extat epigraphes Samariticis literis, *Siclus Iſraelis*; circa virgulam, *Jeruſalem Sancta*.

Solidus. XVI. Solidus redditur id quod in Hebræo eſt Adarcmonim, ſive Darcmonim; ſcilicet Daricus (*c*); de quo verba fecimus. Porrò nomen ſolidi poſt Diocletianum dumtaxat audiri cœpit; ex tunc enim *Aureum* monetam Romanam 25. Julios æquantem, ſolidum appellarunt. Si quando in ſcripturà Aureus legatur, de ſiclo aureo explicandus eſt.

Stater. XVII. Stater (*d*) ſic dictus a ſtaterà, fuit num-

(a) *Confer* 2. *Reg.* XXIV.25.*cum* 1. *Paral.* XXI. 25.

(b) *Exod.XXX.* 13.

(c) *I. Par. XXIX.*7. 1.*Eſdr.II.*60.*&* *VIII.*27.

(d) *Matth.XVII.* 26. 1.*Reg.IX.* 8. *Ezech. IV.* 10.*&* *v.*1.

nummus Hebraicus, tum aureus, tum argenteus, ejuſdem ponderis & valoris cum Siclo; Stateris nomen habuere & Aurei Perſici & Macedonici, illi appellati Stateres Darici, hi Philippæi, & Alexandræi, ab eorum Regum imagine; de quorum pretio jam dictum, quod fuit 20. Juliorum.

XVIII. Talentum, Hebraicè *Chiccar*, 3000. Siclis pendebat (*a*); quod reſpondet 1500. unciis, 125. libris Romanis, 12000. Drachmis. Porrò 12000. Drachmæ argenteæ totidem Juliis æquantur; proindeque Talentum 1200. Aureis noſtratibus valebat. Ex hac argentei Talenti ſummâ inferre licet valorem aurei Talenti, qui erat 12000. Aureorum noſtratum, decuplâ proportione inter Aurum & Argentum habitâ. Hinc liquet, Talentum non tam monetam fuiſſe, quam ingentem auri, argentive maſſam, acervumque pecuniæ. Volunt autem nonnulli, in ſcripturâ auream pecuniam poni nonnunquam argenteæ loco, ut ſi quis dicat, ſe habere 300. Bajocchos aureos, ſignificat, ſe habere Aureum Italicum, vulgò *Doppia d' Italia*, cujus valor eſt 30. Juliorum, qui conficiunt 300. Bajocchos aureos in æſtimatione, non in materiâ (*b*). Hoc autem ſemel admiſſo, multum profectò imminuuntur ſummæ quædam incredibiles, quas multi ex Sacris Libris, præſertim computando Salomonis divitias, collegerunt. Apud Calmetum *Talentum.*

(a) *Exod. XXXVIII.* 24.

(b) *Vide Beverin. V.* Talentum.

alias quoque rationes imminuendi prædictas ſummas invenias (*a*). Talentum argenteum Atticum valebat 60. Minis, ſive 6000. Drachmis, quæ Aureis noſtratibus 600. reſpondent, dimidio ſcilicet Talenti Hebraici. Talentum Ægyptium æquatur 800. Aureis. Talentum Alexandrinum par erat Hebraico. De aliarum gentium Talentis non eſt, cur verba faciamus.

Menſuræ Longitudinis, de quibus agitur in Sacrâ Scripturâ;

§. III.

Menſuræ à corpore humano derivatæ. I. INtervallorum menſuræ ex corporis membris collectæ ſunt, ut apertiſſimè oſtendunt nomina Pedis, Cubiti, Digiti, Palmi. Hinc menſurarum quantitas major minorve apud varias gentes juxta ſtaturam illius hominis quem ſingulæ pro primâ menſurâ conſtituère.

Pes. II. Quoniam verò Pes omnium menſurarum eſt princeps, & ad eam cætera referuntur, viſum eſt de illo omnium primum agere. Pes igitur quamvis ſit ſexta pars humani corporis, & ferè dimidia, Architecti nihilominus, ut rotundam aliquam & expeditam menſuram haberent, convenerunt, ut humanæ ſtaturæ ſextam partem pedi tribuerent. Palmus eſt quarta pars pedis, cubitus pedem continet cum dimidio, Pollex eſt pedis pars duodecima, Digitus deci-

ma-

(c) *Diſſert. de Theſauris à Davide relictis.*

maſexta, Paſſus habet quinque pedes, Milliare 1000. paſſibus definitur.

III. Pedem autem, non ſecus ac Aſſem & *Pedis divi-*
Libram, diviſerunt Romani in partes duode- *ſio.*
cim, quas Uncias vocabant. Duodecima igitur pars pedis *Uncia* æque ac *Pollex* dicebatur. *Sextans* erat ſexta pars pedis, ſcilicet duæ unciæ. *Quadrans* 3. unciæ. *Triens* 4. unciæ. Quincunx 5 unciæ. *Sexcunx*, ſive *Semiſſis* 6 unciæ. vel pedis dimidium. *Septunx* 7 unciæ. *Bes* 8 unciæ: Eſt autem maxima extenſio manûs ab extremo pollicis ad extremum indicis. *Dodrans* 9 unciæ; maxima nempe extenſio manûs ab extremo pollicis ad extremum auricularis. *Dextans* 10 unciæ. *Deunx* 11 unciæ. Duodecim tandem unciæ Pedem complebant, ſi quidem de menſurâ ageretur; ſi verò de pondere, Aſſem. Pes Hebraicus, docente Beverinio, major erat Romano tribus unciis, & $\frac{75}{100}$. Verùm Calmetus tradit, pedis menſuram 12 unciis vel pollicibus definitam, Hebræis incognitam prorſus fuiſſe, cum ipſorum *Zereth*, inquit Author, ſive ſemicubitus 10 pollices & $\frac{22}{89}$ contineret (*a*).

IV. Calamus, menſura Hebraica (*b*). *Can-* *Calamus.*
na nobis dicta, antiquis verò Romanis *Decempeda* ex Prophetâ Ezechiele ſex cubitos & palmum æquabat, vel, ut alii interpretantur, ſex cubitos totidemque palmos. Cubitus enim, ajunt, Hebraicus Babylonico ferè palmo præſtabat;

(a) *Calmetus v.* Pes. *Apoc. X.* 1.
(b) *Ezech. XL.* 3.

Babylonico autem Ezechielem uſum fuiſſe, vero propius eſt, cum trans Euphratem ſcriberet. Quænam verò fuerit cubiti menſura, mox dicetur.

Chibrath. V. Chibrath, ſeu Kibrat vox eſt, quam alii aliter vertunt (*a*). Si autem conſtituatur cum pluribus, eſſe menſuræ genus, adhuc ambigitur de illius magnitudine. Beverinius mille cubitos Hebraicos illi attribuit, definitque, iter Sabbathi, de quo inferiùs, duobus Chibrat conſtitiſſe. Calmeto autem Chibrat eſt *Sulcus*, qui ex Veterum more 240. pedibus in longum protrahebatur. Jugerum enim, ſive ſpatium agri, quod ab uno boum jugo in die colebatur, 120. pedibus in latum, & 240. in longum dimetiebatur (*b*).

Cubitus. VI. Cubitus, Hebræis *Amma*, ſcilicet mater menſurarum, dictus, Græcis verò *Pechis*, continet illud ſpatium, quod ab extremitate digiti medii ad brachii curvaturam uſque porrigitur, quartam ſcilicet partem totius hominis benè conformati, quod menſuræ ſesquipedali congruit. Origenes, vel illius Interpres, autumavit, cubitos dimetiendæ Arcæ Noëmicæ adhibitos, ſex vulgares cubitos comprehendiſſe (*c*); quod S. Auguſtino adeò probatur, ut contraria opinantes riſu excipiendos cenſeat (*d*). Omiſ-

(a) *Gen. XXXIII. 19.*
(b) *Plin. l. 15. c. 13.*
(c) *Orig. hom. 11. in Gen. & l. 4. con. Celſ.*
(d) *Aug. Quæſt. in Gen: l. c. 4. & de Civit. l. 15. c. 27.*

Omiſſis autem his, quæ omnem fidem ſuperant, Judæorum cubiti, teſte Joſepho, tunc temporis 24. digitos æquabant. Talmudiſtæ pariter tradunt, cubitum Hebraicum quadrante majorem fuiſſe Romano. Maimonides recentiorem alium cubitum notat 20. digitis non majorem. Ludovicus Capellius tria cubitorum genera apud Hebræos fuiſſe contendit: ampliſſimus tres pedes reddebat, qui ſacer erat, & in Arcæ dimenſione adhibitus; ſuccedens alter pede & ſemis prorogabatur; tertius tandem 15. digitos non excedebat. Alii duplici cubitorum genere contenti, aliud menſurarum diſcrimen invehunt. Cubito ſacro & majori aſſignant ſupra vulgarem palmi incrementum; quod ex Prophetâ indicatum volunt. *Iſtæ*, ait Ezechiel, *menſuræ Altaris, in cubito veriſſimo, qui habebat cubitum & palmum* (a). Adductis ſententiis alii minimè acquieſcentes, unum tantùm vulgarem & communem cubitum apud Hebræos ante Captivitatem agnoſcunt, cujus dimenſionem paucis ab hinc annis ex veteribus prototypis Magni Caïri, ubi diù habitarunt Hebræi, Joannes Graves, Aſtronomiæ in Univerſitate Oxonienſi Profeſſor, expreſſit, 20. pollicibus & ſemis definitam. Ad Ezechielem verò quod ſpectat, jam de Calamo agentes Eruditorum opinionem protulimus.

VII. Iter Sabbathi eſt iter quod eâ die Hebræis conficere licet, quodque Rabbini ad 2000. cu- *Iter Sabbathi.*

B 3

(a) *Ezech. XL. 9. XLIII. 13.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cubitos determinant. Inter Jeruſalem & montem Olivarum iter Sabbathi intercedere ex S. Lucâ docemur (*a*). Porrò ſpatio illi Joſephus modô quinque, modô ſex ſtadia attribuit. Juxta Eiſenchmidium 2000. cubiti Hebraici æquantur ſtadiis Olympicis $5\frac{1}{4}$ Alexandrinis verò 5. adamuſſim.

Milliare. VIII. Mille paſſus Geometrici, quorum ſinguli quinque pedes habent, Milliare definiunt. Apud Hebræos Doctores tria Milliarium genera inveniuntur; *Minus* ſcilicet, 1000. cubitis clauſum; *Majus*, cui 2000. tribuuntur; & *Maximum*, quod 4000. comprehendit, appellaturque *Paraſa*.

Palmus. IX. Palmus duplex eſt, *Major* & *Minor*; quorum alter 12. digitis conſtat, ſive novem pollicibus, alter quatuor digitis, ſive tribus pollicibus.

Paſſus, & Orgya. X. Quinque pedes paſſum Geometricum, à Romanis adhibitum, conficiunt. Paſſus verò Græcorum, *Orgya* dictus, ſex pedibus conſtabat. Eſt autem Orgya ambarum manuum extenſio.

Stadium. XI. Stadium 125. paſſus Geometrici definiunt; hinc octo ſtadia Milliari reſpondent: Paraſangæ, celeberrimæ apud Perſas menſuræ, alii 30. alii verò 60. ſtadia tribuunt (*b*) Schoenus 60. pariter ſtadiis conſtabat.

De

(a) *Act. I. 12. Calmet v.* Iter Sabbathi.

(b) *Calmet. v.* Paraſanga.

De Menſuris cavis, quas Sacra Scriptura commemorat.

§. IV.

I. Illud in primis notandum, rerum pondera in pari molis quantitate pro ratione materiæ eſſe inæqualia, menſuraſque proinde omnes æſtimandas eſſe ſecundum capacitatem ſingularis alicujus rei, puta aquæ, vini, aceti tantundem ferè ponderantium, quam continere poſſunt, ex eâ enim facilis erit ad alias res tranſitus, quas pondere inter ſe variare juxta proportionem ſubjecto elencho expoſitam, compertum eſt. *Rerum pondera ad invicem comparata.*

Vas capiens Aquæ . . . . Libras	29
Olei capiet	18
Frumenti	15
Farinæ.	9
Mellis	39
Stamni	159
Ferri	162
Æris	182
Argenti	208
Plumbi	233
Argenti vivi	300
Auri	375

II. Acetabulum (*a*) eſt quarta pars Heminæ pendens duabus unciis cum dimidio. *Acetabulum*

 III.

(a) *Exod. XXV. 29. & alibi ſæpe.*

Amphora. III. Amphora, ſic appellata, quod duas haberet anſas, quò ferri faciliùs poſſet, celeberrima eſt tam Romanorum, quàm Græcorum menſura. Referebat autem vas cubicum ad inſtar teſſeræ luſoriæ, per omnes ſuas partes, in latum ſcilicet, longum & profundum, Romanum pedem habens; unde meruit appellari *Quadrantal.* Continebat 80, libras aquæ. Hujuſmodi verò menſurâ conſtitutâ, facilè cæterarum quoque menſurarum Romanarum capacitas deprehenditur. Amphora enim duabus *Urnis* conſtabat; Urna quatuor *Congiis*, Congius ſex *Sextariis*; Sextarius duabus *Heminis* vel *Cotylis*, quatuor *Quartariis*, octo *Acetabulis*; duodecim *Cyathis*. Item *Culeus* continebat 20. Amphoras, *Medimnus* verè duas tantummodo. *Modius* tertiâ parte Amphoræ conſtabat. Amphora Græca, quam *& Metretam* appellabant, fuit tertiâ parte major Romanâ; habebat enim tres Urnas, cum Romana non niſi duas contineret. Sunt tamen qui Metretæ tribuant 100. libras; quin nonnulli 90. excedere negant. Calmetus tandem Amphoram Græcam Romanæ adamuſſim congruere cenſet (a); Amphoram ſæpe habet Scriptura (b); ſed facilè ibi pro quodam menſuræ genere uſurpatur.

IV. Alabaſtrum (c) S. Epiphanio eſt Sextarii dimidium, id eſt, aquæ, unciæ decem. Aliis Men-

(a) *Calmet V.* Metreta.

(b) *I. Reg.* 1.24. *Zach.* v.6. *Luc.* XXII. 10. *&c.*

(c) *Marc.* XIV. 3. *Luc.* VII. 37.

Menſura non eſt, ſed vas quodcunque, plerumque tamen è candidò marmore, continendis odoratis liquoribus aptum. Anſulas non habebat, & quo attollebatur, eò minùs patebat, ad formam pyri accedens.

V. Artaba (a), genus menſuræ Babiloniis familiaris, continebat libras aquæ 166. Quæ intelligenda ſunt de Artaba Perſica; nam Artabæ Ægyptiæ tribuuntur tantùm libræ 133. Artabæ verò, qua Medi utebantur, libræ 160. Duodecim vini Artabas ſingulis diebus Bolo offerebant; quas, Numinis obtentu, Sacerdotes clam in ſuos uſos convertebant. *Artaba.*

VI. Bathus continebat decimam partem *Cori*, ſeu *Gomor* (b), ſcilicet libras aquæ 80. Æqualis erat Ephæ, nec a Romana Amphora, ad pondus quod ſpectat, diſcrepabat. Joſephus (c) tradit, Bathum capere 72. Sextarios. Porrò Sextariò capacitas 20. unciarum tribuitur. Ex quo haberetur, Bathum continuiſſe libras aquæ 120. P. Sebaſtianus Pauli ſcriptorum diſcrepantiam conciliaturus, adhæret Alcaſario, qui Hebræorum Sextario non niſi uncias $13\frac{1}{3}$ tribuit. Duplicem Bathum diſtinguunt, nonnulli, ſacrum nempe, & vulgarem, docentes, ſacrum continere vulgarem cum dimidio. Beverinius poſt Alcaſarium, Bathum quintuplicem aſſignat. Primo attribuit libras 80. Secundo uncias 100. Tertio, uncias 66 $\frac{2}{3}$. Quarto, uncias *Bathus.*

(a) *Dan.XIV.* 2. (c) *Joſeph. Antiq.*
(b) *Ezech.XLV.* *L.8. c.2.*

cias 25. Ultimo, uncias 6 $\frac{2}{3}$ Calmetus unicum Bathum agnoſcit. Mare Æneum, in Templo poſitum, ex tertio Libro Regum bis mille bathos capiebat, ex ſecundo verò Paralipomenon, ter mille (a). Author, mox laudatus, Vaſis illius concavo bis mille attribuit; reliquos verò mille, ejuſdem baſi, ſive pedi, quem cavum pariter fuiſſe putat, relinquit.

Cabus. VII. Cabus, qui & Kabus (b), erat duodevigeſima Bathi, ſive Ephæ pars, continebatque 4. aquæ libras, & ferè dimidium. Tantum ſtercoris columbarum, ſeu cujuſdam ciceris, quod ſtercus columbæ appellabatur, quantum quartam cabi partem impleret, in obſidione Samariæ quinque ſiclis vendebatur. Cabum alii *Lop*, ſeù *Robab* denominant.

Cadus. VIII. Cadus (c) cum Batho ſæpè confunditur, habetque 80. librarum aquæ capacitatem.

Corus. IX. Corus, vel Chomer (d) decem Bathos ſive Ephas æquabat, ut 800. aquæ libras contineret. Decima pars Cori in his, quæ Modio menſurantur, appellatur Epha, in ſpeciebus verò liquidis vocatur Bathus.

Cyathus. X. Cyathus (e) crater erat ad uſum libaminum Templi, cujus capacitas una aquæ uncia, & $\frac{2}{3}$.

Epba. XI. Epha continebat 80. aquæ libras, non ſecus

(a) 3. *Reg. VII.* 26. 2. *Par. IV.* 5.
(b) 4. *Reg. VI.* 25.
(c) *Luc. XVI.* 6.
(d) *Num. XI.* 32. *Ezech. XLV.*
(e) *Exod. XXV.* 29.

ſecus ac Bathus, & Amphora, ut jam obſervatum eſt.

XII. Gomor (*a*), quo menſurabatur Manna in deſerto dietim à ſingulis colligenda, erat apud Hebræos, quod apud Græcos *Choenix*, ſcilicet diurni cibi pondus, ſive menſura. Porrò Gomor erat decima pars Ephæ, continebatque proinde 8. aquæ libras. Hujuſmodi menſura dicta eſt & *Aſſaron*, ſcilicet *Decima*. *Gomor & Aſſaron.*

XIII. Hin; de hac menſura ſermo eſt in Levitico (*b*), ſecundum Hebraicam lectionem, ubi vulgata habet *Sextarium*, facilè quod ſit ſexta Bathi pars, capiens aquæ libras 13. & uncias 4. *Hin.*

XIV. Lethec capiebat Cori dimidium, 400. ſcilicet libras aquæ. *Lethec.*

XV. Log, cui menſuræ capacitas quindecim unciarum tribuitur. *Log.*

XVI. Metreta (*c*) idem erat, ut dictum eſt, ac Amphora Attica, continebatque aquæ libras 120. *Metreta.*

XVII. Modium implebant aquæ libræ 26 $\frac{2}{3}$ erat enim tertia Amphoræ pars. *Modium.*

XVIII. Satum erat menſura Modio prorſus æqualis. *Satum.*

XIX. Sextarius ſic dicebatur, quod eſſet ſexta Congii pars; cujus Sextarii capacitas 20. aquæ uncias æquabat. Porrò Sextarium, non ſecus ac Pedem & Aſſem, dividebant in partes duodecim veluti uncias, quarum ſingulæ Cyathi dice- *Sextarius.*

(a) *Exod. XVI.* (c) *Joann. II. 2. 6.*
(b) *Levit. XIX. 36.* *vide ſupra v.* Amphora.

dicebantur: Alcaſarius docet, Sextarium Romanum habuiſſe quidem uncias 20.; ſed Attico 15. tantùm tribuit, Hebraico verò 13 $\frac{1}{3}$.

Tabula Chronologica in Pentatheuchi Hiſtoriam.

§. V.

Chronologia ſequenda eligitur. Annorum ab Orbe condito ad Chriſtum uſque numerandorum immenſa eſt varietas: Alii textum Hebraicum, alii Samaritanum, alii Græcam 70. Interpretum Verſionem ſequuntur; qui iterum in partes dividuntur innumeras, quas referre tedioſum eſſet. Alphonſus Hiſpaniæ Rex annos 6984. ſupputabat, Rabbinus verò Naaſon, 3707. Cæteri intra duos hoſce terminos clauduntur. Nos ſequendos putavimus Tirinium, Uſſerium, Boſſuetum, Lamy, Vallemontium, Calmetum, alioſque in rebus Chronologicis peritiſſimos viros, qui ſpatium illud intra annos 4000. definiunt. Hanc ſupputationem ſuas habere difficultates, non negamus; ſed profitemur ſimul, ſuas & reliquis omnibus ineſſe; hanc autem præ aliis eo commodo gaudere, ut numeri rotunditate multùm ſupputantium memoriam juvet, viamque in eâ pergentibus complanet:

Anni in Pentatheuco contenti. II. Pentatheuchi Hiſtoria, quam duobus his primis noſtri Operis tomis digeſſimus, annos complectitur 2553.

Geneſis enim à Mundo creato uſque ad mortem Joſephi continet annos . . . 2369.

Exo-

Exodus à morte Joſephi uſque ad Tabernaculum erectum, annos . . . . . . 145.

Leviticus habet dumtaxat menſem & ferè dimidium.

Numerorum Liber à Tabernaculo erecto uſque ad completum per deſertum iter annos 38. cum dimidio . . . . 39.

Deuteronomium habet & ipſum præter propter menſem cum dimidio.

Totius Pentathèuchi ſumma annorum . . . . 2553.

III. In Tabula, quam ſubjiciemus, indicantur anni tantummodo Mundi & ante Chriſti ortum, omiſſis annis Periodi Julianæ, & Æræ Vulgaris, vitandæ confuſionis gratia; quos tamen invenire facile cuique erit. Periodus vulgò *Juliana* appellata, quod ab illius Authore Joſepho Scaligero ad annum Julianum ſit accommodata, ex tribus Cyclis, Solari, Lunari & Indictionis conflata eſt. Si enim cyclum Solarem 28. annorum in cyclum Lunæ, ſeu numerum aureum 19. annorum duxeris, productum exurget 532. Si autem numerum hunc 532. iterum multiplices per cyclum Indictionis 15. annorum, prodibunt 7980. Porrò Julianæ Periodi ea ratio eſt, ut quilibet illius annus ſuis cyclis præditus ſit, ita ut nullus alius annus in totâ Periodo tales præciſe cyclos poſſideat. Exempli causâ, primus annus habet cyclum Solis 1. Lunæ 1. Indictionis 1. In annis totis 7980. nullum præter primum invenies, cui tres iſti cycli congruant. Unde ſi Hiſtoricorum

Periodus Juliana. Geminæ Æra Chriſtianæ, altera vera, altera vulgaris.

An-

Annalium ſcriptores cujuſque anni cyclos notaſſent, nulla extaret in Chronologiâ ambiguitas. Retrogradâ autem numeratione demonſtrandum ſumpſerunt nonnulli, primo Æræ Chriſtianæ anno, decimum cycli Solaris, ſecundum Lunaris, & quartum Indictionis attribui oportere. Itaque ſi in Periodo Julianâ 7980. annorum quæratur annus, cui conveniant tres ſimul illi cycli, nullus alius occuret, quam 4714. Nam ille ſolus numerus diſtributus per 28, neglecto quotiente relinquit 10. ſectus per 19. relinquit 2. diviſus per 15. relinquit 4. Quare primus Æræ Chriſtianæ annus, reſpondet anno Periodi Julianæ 4714. & conſequenter primus Mundi annus in annum ejuſdem Periodi 710. incidit; ſi modò, Natalis Chriſti dies ad finem anni Mundi 4000, ſit referendus, & Æræ vulgaris initium quatuor integris annis antecedat, uti quidem pluribus probatur, qui compertum habent, Dionyſium Exiguum, dum incæpit ſupputare annos à Chriſti ortu, toto illo quadriennio erraſſe. Neque mirum videri debet, ſi Periodus Juliana ipſam Mundi creationem 710. annis antecedere dicatur; nam ex eorum cyclorum multiplicatione reſultat, qui omnes ſimul inſtituti non fuere; Electo autem in totâ Periodo Julianâ anno 710. pro Mundi creatione, & anno 4714. pro Chriſti ortu; adoptatâ etiam communi illâ Eruditorum perſuaſione, quod ſcilicet Chriſtus natus ſit anno Mundi 4000. quodve Æra vulgaris ad annum Mundi 4004, retrahenda ſit; poſſumus in iis

tutò

tutò veluti pedem figere, ut inde annos omnes, & qui Chriſtum præceſsère, & qui illum ad nos uſque ſubſecuti ſunt excurrere, & certo numero determinare. His præmiſſis Tabulæ Chronologicæ manus admoveamus.

Anno Mundi I. Periodi Julianæ 710.	Materia, ſive Chaos creatur. Primâ die Lux creatur; Secundâ die Firmamentum. Tertiâ die Aquæ, Mare, Plantæ, Herbæ. Quartâ die Sol, Luna, Aſtra. Quintâ die Piſces & Aves. Sextâ die Animalia terreſtria & Homo. Adam Brutis nomina imponit. Mulier formatur. Adam & Eva in Paradiſum introducuntur. Septimâ die Deus ab operibus creandis quieſcit. Paucis poſt creationem diebus, & facilè decimâ die, primi Parentes poſt peccatum è Paradiſo expelluntur.	Anno ante Chriſtum. 4000 ante Æram vulgarem. 4004
2	Oritur Cain, filius Adami & Evæ.	3999
3	Naſcitur Abel.	3998
129	Cain fratrem ſuum Abelem occidit.	3871
130	Seth Adamo & Evæ loco Abelis naſcitur.	3870
235	Enos filius Seth naſcitur.	3765

Cai-

A. M.		A.Chr.
325	Cainan filius Enos naſcitur .	3675
395	Malaleel filius Cainan naſcitur.	3605
460	Jared filius Malaleel naſcitur .	3540
622	Enoch filius Jared naſcitur.	3378
687	Mathuſala filius Enoch naſcitur.	3313
874	Lamech filius Mathuſalæ naſcitur .	3126
930	Adam moritur .	3070
987	Enoch , poſt exactos 365. vitæ annos transfertur .	3013
1042	Seth , annis natus 912. moritur.	2958
1056	Noë filius Lamech naſcitur .	2944
1140	Enos , annis natus 905. moritur	2860
1235	Cainan anno ætatis 910. moritur .	2765
1290	Malaleel poſt annos 895. moritur .	2710
1422	Mors Jared anno ætatis 962.	2578
1536	Diluvium Noë intimatur à Deo .	2464
1556	Japhet filius Noë , natu major, oritur .	2444
1558	Sem filius Noë naſcitur .	2442
1651	Mors Lamechi , Patris Noë , anno 777.	2349
1656	Mathuſala omnium longæviſſimus annis natus 969. moritur . Diluvium univerſale . Noë die 17. ſecundi menſis	2344

Arcam

A. M.		A.Chr.
	Arcam ingreditur. Pluit 40. diebus & 40. noctibus Aquæ perſeverant 150. dies; poſtea imminuuntur. Die 17. ſeptimi menſis Arca in Armenia conſidet. Die primâ decimi menſis cacumina montium apparent. Poſt 40. dies corvus dimittitur. Poſt 7. dies columba dimiſſa ſtatim regreditur. Poſt ſeptem alios dies iterum dimiſſa, ad veſperam regreditur portans ramum olivæ. Poſt alios 7. dies avolans ampliùs non redit.	
1657	Noë anno ætatis 601. primâ die primi menſis Arcæ tectum aperit. Die 27. ſecundi menſis egreditur ex Arca.	2343
1658	Arphaxad filius Sem naſcitur.	2342
1663	Noe Chanaam maledicit.	2337
1693	Sale filius Arphaxad naſcitur.	2307
1723	Heber filius Sale naſcitur.	2377
1757	Phaleg filius Heber naſcitur.	2243
1770	Turris Babel ædificatur.	2230
1771	Circa hoc tempus exordium Monarchiæ Aſſyriorum per Nembrodum,& Regni Ægyptii per Cham,patre Mezraim, ſtatui poteſt:	2229

A. M.		A. Chr.
1787	Rehu filius Phaleg naſcitur .	2213
1819	Sarug filius Rehu naſcitur.	2181
1849	Nachor filius Sarug naſcitur.	2151
1878	Thare filius Nachor naſcitur.	2122
1948	Aram , filius Thare , naſcitur.	2052
2006	Mors Noë anno ætatis 950.	1994
2008	Abram filius Thare naſcitur.	1992
2018	Sarai uxor Abram naſcitur .	1982
2083	Abram vocatus à Deo , ex Ur-Chaldæorum venit in Haran , ubi Thare pater ipſius annis natus 205. moritur . Iterum vocatus , ex Haran proficiſcitur in Terram promiſſionis , ſedemque in Sichem conſtituit .	1917
2084	Abram in Ægyptum deſcendit.	1916
2092	Bellum Codorlahomor & ſociorum adverſus Reges Sodomæ , Gomorrhæ &c. Melchiſedechus Abramo benedicit , Fœdus Dei cum Abram.	1908
2093	Agar fit ſponſa Abram .	1907
2094	Iſmael filius Abram & Agar naſcitur.	1906
2107	Novum fœdus Dei cum Abram. Nomen *Abram* in *Abraham*, & *Sarai* , in *Sara* commutatur . Angeli hoſpitio ab Abraham excepti Iſaacum promittunt.	1893

A. M.		A.Chr.
	tunt. Incendium Sodomæ, Gomorrhæ &c. Lothi inceſtus,	
2108	Abrahamo & Sara Iſaac naſcitur.	1892
2115	Agar & Iſmael ejiciuntur. Hoc circiter tempore Inachus omnium primus Argivis imperat;	1885
2133	Fædus Abrahami cum Abimelecho Rege Geraræ. Iſaac à patre immolandus ſiſtitur.	1867
1145	Sara moritur ætatis anno 127.	1855
2148	Matrimonium Iſaaci & Rebeccæ.	1852
2150	Nuptiæ Abrahami cum Cethura;	1850
2158	Sem filius Noë moritur, 500. annis poſt natum Arphaxad.	1842
2162	Phoroneus ſecundus Rex Argivorum.	1838
2168	Jacob & Eſau filii Iſaaci & Rebeccæ naſcuntur.	1832
2184	Abraham moritur ætatis anno 175.	1816
2187	Heber annis natus 464. moritur.	1813
1200	Deus factas Abrahamo promiſſiones confirmat cum Iſaaco, qui fœdus cum Abimelecho Rege Geraræ innovat.	1800

A. M.		A.Chr.
2208	Eſau uxores ducit Chananæas. Diluvium Ogygis in Attica 1020. annis ante primam Olympiadem. Apis tertius Argivorum Rex.	1792
2231	Iſmael anno ætatis 137. moritur.	1769
2245	Iſaac Jacobo pro Eſau benedicit. Jacob fugit in Meſopotamiam, ubi Liam & Rachelem uxores ducit.	1755
2246	Ruben naſcitur ex Lia.	1754
2247	Simeon naſcitur ex Lia.	1753
2248	Levi naſcitur ex Lia.	1752
2249	Juda naſcitur ex Lia.	1751
2257	Argus regnat Argis, & poſt eum ſucceſſive Eriatus, Phorbas, Triopas &c.	1739
2259	Joſeph naſcitur ex Rachele.	1741
2265	Jacob è Meſopotamia clam Labano in Chananitidem redit.	1735
2273	Dina filia Jacobi rapitur. Benjamin filius Rachelis naſcitur, mater verò partûs dolore moritur.	1727
2276	Joſeph venditur in Ægyptum. Judas ducit filiam Suæ Chananæi, ex qua Her, Onan, & Sela genuit.	1724
2286	Joſeph ab uxore Putipharis falſò	1714

A. M.		A.Chr.
	sò accuſatus, in carcerem truditur.	
2287	Joſeph Pharaonis Miniſtris ſomnia explicat.	1713
2288	Iſaacus, annis natus 180. moritur.	1712
2289	Ioſeph totius Ægypti Prorex. Incipiunt ſeptem anni ubertatis à Joſepho prædictæ.	1711
2290	Manaſſes filius Joſephi naſcitur.	1710
2291	Ephraim filius Joſephi naſcitur.	1709
2296	Exordium ſeptem annorum ſterilitatis à Joſepho prædictæ.	1704
2297	Fratres Joſephi in Ægyptum deſcendunt, annonam quæſituri.	1703
2298	Fratres Joſephi iterum in Ægyptum deſcendentes, Beniaminum adducunt. Eò tandem pergit & Jacob cum tota familia.	1702
2315	Jacob, pronunciatis in ſingulos filios beneditionibus, moritur annis natus 147.	1685
2369	Joſeph moritur anno ætatis 110.	1631
2385	Levi annorum 137. grandævus moritur.	1615
2422	Cecrops regnat Athenis.	1578
2427	Novus Rex in Ægypto, qui Joſephum non cognoſcit. Cir-	1573

A. M.		A.Chr.
	ca hæc tempora Job vivebat; regnabat, & Prometheus in Theſſalia.	
2430	Aaron filius Amran & Jocadeb naſcitur.	1570
2433	Moyſes frater Aaronis naſcitur.	2567
2472	Areopagum Athenis ſtatuitur à Rege Cranao.	1528
2473	Moyſes fratres viſitat, Ægyptium occidit, in Madianitidem fugit, Sephoram ducit.	1527
2474	Diluvium ſub Deucalione filio Promethei.	1526
2479	Amphythion filius Deucalionis, gener Cranai Regis Athenarum, ſocerum Regno pellit.	1519
2481	Hellen ſecundus Deucalionis filius regnat in Phocide. Panathenea Anthoni celebrantur in honorem Minervæ.	1517
2486	Eurotas & Lacedemon regnant in Laconia. Urbs Sparta ſeu Lacedemon conditur.	1510
2490	Erichtonius pulſo Amphythione Regnum Athenarum occupat.	1506
2492	Danaus ex Ægypto in Græciam veniens, imperat.	1504
2496	Trojanum Regnum ſub Dardano conditur.	1500
2513	Dominus Moyſi in rubo appa-	1487

ret,

Digitized by Google

A. M.		A. Chr.
	ret, eumque ad Pharaonem mittit. Decem Ægypti Plagæ 1. Aquæ in ſanguinem mutatæ. 2. Ranæ. 3, Cyniphes. 4, Muſcæ. 5, Peſtis hominum & animalium. 6, Ulcera. 7, Grando. 8, Locuſtæ. 9. Tenebræ; qua ſæviente plaga præceptum de celebrando Paſchate datur. 10, Mors Primogenitorum; quibus pereuntibus, ab Iſraelitis Paſcha celebratur, eiſque à Pharaone egredi ex Ægypto permittur. Porrò hæc contigêre nocte inter dies 14. & 15. menſis Niſan. Circa verò diem 20. ejuſdem menſis Iſraelitæ Mare ſicco pede transgrediuntur, Pharaone cum exercitu in aquis demerſo. Die tandem 3. tertii menſis Hebræi ad radices Sinai caſtra habent, ubi integro anno ſubſtiterunt. Deus Legem ſuam illis tradidit, fœduſque cum eis inivit.	
2514	Tabernaculum erigitur die primâ primi menſis anni ſecundi ab egreſſu ex Ægypto. Mit-	1486

tuntur Exploratores in Chanaanitidem. Differtur ingreſſus in terram illem 40. annis. Hæ autem ſunt ſtationes Iſraelitarum in deſerto ab exitu Egypti. 1, Rameſſe. 2, Socoth. 3, Etham. 4, Beelſephor. 5, Deſertum Etham. 6, Mara. 7, Elim. 8, Ad Mare Rubrum. 9, Deſertum Sin 10, Daphca. 11, Alus. 12. Raphidim. 13, Sinai. 14, Incendium. 15, Sepulcra concupiſcentiæ. 16, Hazeroth. 17, Rethma. 18, Remnonphares. 19, Lebna. 20, Reſſa. 21, Ceelatha. 22, Mons Sepher. 23, Arada. 24, Macetoth. 25, Tahat. 26, Thare. 27, Meſca. 28, Hesmon. 29, Moſeroth. 30, Bene-jucan. 31, Gadgad. 32, Iethebata. 33, Hebrona. 34, Aſiongaber. 35, Mozeroth. 36, Cades ad Aquas contradictionis. 37, Ad Montem Hor. 38, Selmona. 39. Phunon. 40, Oboth. 41, Jeabathana. 42, Ad Torrentem Zared. 43. Bamoth-Arnon.

44, Ad

A. M		A.Chr.
	44, Ad Puteum. 45, Mathana. 46, Nahaliel. 47, Dibon-gad. 48, Helmon-deblataim. 49, Mons Phasga. 50, Chedemoth. 51, Sethim, vel Abelſethim.	
2515	Iſraelitæ in Cades aliquandiù morantur; inde verſo itinere Mare Rubrum repetunt.	1485
2549	Phænix & Cadmus de Tebis Ægyptiorum profecti, apud Tyrum & Sidonem regnant.	1451
2552	Edom tranſitum Iſraelitis negat. Maria Moyſis ſoror moritur anno ætatis 130. Moritur & Aaron annis natus 123. Bellum Regis Arad in Israelitas. Serpens æneus erigitur.	1448
2553	Bella adverſus Sehon & Og. Baalami hiſtoria. Bellum in Madianitas. Moyſes poſt innovatum fœdus inter Deum & Populum moritur anno ætatis 120. cui ſuccedit Joſue.	1447

Finis Tabulæ Chronologicæ in Hiſtoriam Pentatheuchi.

LIBER PRIMUS.

Mundi Creatio.

CAP. I.

Anno Mundi 1. Ante Chriſtum 4000. Ante Æram vulgarem 4004. Period. Julian. 710. *Chaos ſive materia creatur.*

CUM primum ad rerum molitionem ſe contulit Deus, è nihilo ſtare juſſit Cœlum & Terram (*a*). His formandis, digerendiſque, Chaos, ſeu Abyſſum creavit, rudem ſcilicet, indigeſtamque materiam, quâ rerum omnium ſenſibilium ſemina congeſta erant; eique motum impertitus eſt ad certas leges, & ad Divinæ Sapientiæ ſuæ regulas ordinatum, quò partes ſingulæ vaſtæ illius, ac latè ſtagnantis ſtruis præſtitutum ſibi in Mundo locum quærerent, & intra ſex dierum ſpatium formam ſibi ſuam, ſub tanti Opificis ductu & imperio, unaquæque adſciſceret. Hinc factum, ut reſolutis materiæ vinculis, partes terreæ in Univerſi centrum coirent, aqueæ Terram undequaque obducerent, aereæ ethereæque ſuperiora tenerent, omneſque denique, ut ſibi quæque affines erant, vel ſecus, cohærerent, vel ſegregarentur, divellerenturque. Porrò hoc erumpentis è Chao ſinu Mundi ſyſtema nedum quadrat cum Sacrâ Scripturâ (*b*), probaturque ſa-

(a) *Geneſ.I.1. I.Macch.VII. 28.*

(b) *Geneſ.I.2.3. &c. Pſ.CIII. 6. 7. &c.*

ſanioribus Interpretibus (*a*), verùm etiam apud vetuſtiſſimas gentes, prioreſque Philoſophos & Poetas fermè idem obtinuit; qui tamen veteris hujus traditionis veſtigia fabellis erroribuſque corrumpentes, materiæ æternitatem, vel illius ſaltem inertiam, longo ſæculorum ſpatio Dei motione deſtitutam, docuerunt; aliaque plura nugati ſunt de Anima Mundi, de Motu innato, de Amore, quo fovente movebatur Chaos & fœcundabatur, ut naturalia corpora, & Deos ipſos parturiret (*b*).

II. Poſt creatam a Deo Cœli & Terræ materiam, eique impartitum motum, & efficaciam, cum informis ille Mundus, omnibus, quibus nunc nitet, ornamentis deſtitueretur, circumfuſiſque undique tenebris horreret, dixit Deus: *Fiat Lux*; ſtatimque imperio obſequuta Lux, tenebras depulit, primamque in Mundum diem invexit. Quid verò rei fuerit illa Lux, non cônvenit inter Doctores. Solem, Lunam & Stellas volunt Rabbini, docentes, ea quæ de Luminaribus à Moyſe quartæ diei adſcri-

Prima dies Lux.

(a) *Ambroſ. l. 1. in Hexaëm c. 8. Aug. l. de Geneſ ad lit. Jo. Chryſoſt. hom. 3. in Geneſ. Calmet in Geneſ. l. 2.*

(b) *Ægyptii apud Diodor. Sicul. P. 1. Biblioth. Anaxagoras, & Euripides apud Euſeb. l. 14. c. 5. & l. 1. c. 7 Platonici paſſim. Vide & Cicer. Academ. quæſt. l. 2. Plin. l. 2. c. 5. Virgil. Æneid. 6. v. 727. Ovid. Metam. 1. Ariſtophan. de Avibus. Pſeudoſanchon. apud Euſeb. l. 1. c. 10.*

ſcribuntur, hæc veluti præcedentium explicationem haberi oportere. Verum ſi hæc ſibi conſtarent, nihil quartâ die productum haberemus. Alii igitur ſucceſſivam creationem defendentes, eumdemque retinentes ordinem, quem Moyſes ſibi propoſuit, corpus aliquod lucidum, a columnâ lucis, Iſraëlitas in deſerto per noctem deducentis, non abſimile invehunt; cujus beneficio tres primi dies ſolis defectum non ſentirent. Malunt quidem, primævam illam lucem tenue fuiſſe lumen, inſtar diluti illius fulgoris, quo Terra, ſole nubibus obvoluto, illuſtratur. Nonnullis placet lux quædam dubia, Auroræ luci ſimillima. Recentiores tandem quidam Philoſophi,qui lucis naturam in preſſione,vel agitatione ætheréæ ſubſtantiæ conſtituunt, aſſerunt, Moyſem huic opinione ſuffragari, nihilque aliud ſibi velle,quam æthercam ſubſtantiam cum certâ motûs quantitate primâ die productam fuiſſe; ex quâ majori deinde motu percitâ, & in varios vortices magis rotatâ, Sol, Luna, & Stellæ quartâ die tandem prodierint. Utcunque res habuerit ſeſe, hanc lucem Occaſum verſus creatam fuiſſe, vero propius eſt; quâ ſcilicet ſub Finitorem labente, prima dies cæperit a veſpere; a quâ & inſequente nocte unâ cum mane tum illa dies, tum cæteræ deinceps omnes progreſſæ ſint (*a*); *Factumque eſt veſpere & mane dies unus* (*b*). Hinc Hebræis mos ducendi dies

a veſpe-

(a) *Petavius de Operibus ſex dierum*.

(b) *Geneſ. I. 5*.

a veſperâ in veſperam ortus creditur (*a*). Veteres pariter Poëtæ noctem dici ſemper præferunt (*b*).

III. Alterâ die Firmamentum ſive Expanſum Deus condidit; quo quidem nomine totum illud ſpatium, quod Inane vocant, quodve à Terrâ quaquaverſus ad extremam uſque Mundi oram porrigitur, intelligi poteſt. Huic autem vim dividendi Aquas ſuperiores ab inferioribus donavit; non ut totum ipſum medium inter ambas divideret, ſed aliquâ ſui tantum parte, humiliori ſcilicet, terriſque citimâ, quam aërem vocamus; aër enim iſte craſſior nobiſque propinquior mediat inter Aquas inferiores, Maria nempe & Flumina, & Aquas ſuperiores, Nubes ſcilicet & Vapores, quæ habentur veluti vaſta quædam aquarum receptacula, unde imbres, fermè uti è fonte rivi defluant. Hæc quidem opinio nunc vulgò defenſatur. Veteres tamen Patres Sacræ Scripturæ phraſibus (*c*) rem explicantes, ſimplices & meras aquas fluidas, ac ejusdem prorſus naturæ cum cæteris ſupra Cœlum conſtitutas docuerunt; ipſum verò Cœlum à Firmamento indiſcretum rati, perinde habebant, ac concretum glacie, ſeu ære malleatoris operâ ducto fornice, continendis aquis ſuperioribus, ſegregandiſque ab inferioribus for-

Secunda dies. Firmamentum. Aquæ ſuperiores & inferiores.

(a) *Levit. XXIII.32.*

(b) *Calmetus Diſſert. de Chronologiâ.*

(c) *Geneſ.VII.11.Job XXXVII. 18. Pſ.XLI.8. CIII. 3. CXLVIII. 4.Daniel.III.60.*

formatum (*a*). At cui bono ex Veterum ſententiâ aquæ illæ ſupra Cœli convexa conſtituta erant? Varii varia cogitarunt. Aliis ſuccurrit, ut Terram imbre irrigarent; aliis, ut Diluvii materiam ſuppeditarent; aliis, ut Empyreum, Dei nimirum, Beatorumque ſedem, obducerent mortalium obtutibus; aliis, ut igni Corporum Cœleſtium pabulum ſufficerent; aliis tandem, ut ſolis, & cæterorum Aſtrorum ardorem, ne Terris noceret, temperarent.

Tertia dies. Terra ex aquis emergit.

IV. Tertiâ die aquæ inferiores Divinis juſſionibus morigeræ arentem terram relinquentes, in locum unum, Mare appellatum, ſeceſſere. Geminas hujus rei explicatione invenias. Aut enim Terra, aquis undequaque obvoluta, emerſit, veluti inſula, quæ è fundo Maris ſuper ejus ſuperficiem extolleretur; aut Terra, cum æquabili antea rotunditate ſub aquis turgeret, in quibusdam ſui partibus altiùs depreſſa eſt, quò defluentes innato pondere aquæ congregarentur; in aliis verò ex egeſtâ illâ materiâ in eminentia quædam loca conſurgens, litora, campos, montes exhibuit. Hoc poſterius nunc perperam rejiceretur; ſed quod priori loco propoſitum fuit, omnium penè Scriptorum ad ſæculum uſque decimum quintum, quo tandem America detecta eſt, accomodatur opinioni. Suſpicati enim illi, Cœlum

(a) *Joſeph l.* 1. *Antiq. c.*1.*Theodor. in Pſ.* 148.*Baſil. hom.*3.*in Hexaëm. Ambr.l.*2.*in Hexaëm. Severian. Gabel. or.*2. *Nyſſen. l.*1.*contra Eunom. Aug. l.*2.*de Geneſ.ad lit.*

Cœlum & Terram continuari, ac veluti cameram quamdam conſtituere, cujus fornix Cœlum eſſet, Terra verò & Mare pavimentum, autumabant, in medio Mari Terram ad inſtar cucumeris mediâ ſui parte immerſam pendulâ firmitate innatare: aut Cœlum ipſum duabus terris, ceu columnis, ultra & citra Oceanum, innixum pendêre; & ſententia, quæ Antipodas adſtruit, tamquam inſolens, & veritati Religionique contraria audiret, traducebatur (*a*).

Herbæ & Plantæ. Quo tēpore Mundus cōditus fuerit.

V. Eâdem tertiâ die revelatam ex aquis Terram herbarum viriditate, ſtirpiumque ubertate & copiâ Deus veſtivit, illique juſſit, ut arbores & plantas produceret, nedum fœcundas germinandique virtute præditas, ſed fructibus quoque fœtas, & per omnia perfectas; quò ad alimenta hominibus, mox creandis, præſtanda nihil reliqui deſideraretur. Porrò hæc nos eò adducunt, ut putemus, tum autumnalem tempeſtatem reſpondiſſe loco, ubi primi parentes paruerunt. Cujus ſententiæ aſſertores advertunt, apud Ægyptios, & Hebræos Anni Civilis exordium ad æquinoctium autumnale conſtitui; quod à patribus ſuis, primoribuſque hominibus ſe accepiſſe, illi glorientur. Ultrò tamen dandum, in regionibus, Paradiſo terreſtri oppoſitis, tunc temporis germina tantùm erupiſſe, fructibus nuda; quod tempus ibi vernum ageretur. Docuit non-

(a) *Lactantius, Auguſtinus, Zacharias Papa, Toſtatus & alii apud Calmet. diſſert. de Mundi ſyſtemate.*

nonnemo; Terram ante Diluvium univerſale æquum ubique ſitum ad Solis axem ſervaſſe, ut ſemper æquinoctio & verno tempore homines fruerentur (*a*). Sed tantæ rei adſtruendæ argumenta, conjecturis, & hypotheſibus ad ingenium inventis ſolidiora, deſiderantur.

Quarta dies Sol, Luna & Stellæ.

VI. Quartâ Mundi die, cùm certam temporum & anni tempeſtatum regulam modumque Deus conſtituere vellet, Solem, Lunam, & Stellas molitus eſt, ex illâ facilè luce, quæ primæ diei penſum fuit. Collectis enim & compreſſis rarioribus lucis partibus, major in ſpiſſo denſiorique corpore vis lucis enituit. Lunam, non ſecus ac Solem, Luminare magnum Moyſes appellat; quamvis enim Lunæ corpus, ſi cum Sole, Aſtriſque cæteris comparetur, breviſſimum ſit, noſtro tamen aſpectui Luna præſtantior videtur. Porro nemo ab iis, qui populos inſtruendos ſuſcipiunt, exegit unquam, ſive rigorem aliquem philoſophicum, ſive exactam illam loquendi rationem, quam humanarum ſcientiarum præceptores, eorumque diſcipuli ſectantur.

Quinta dies Piſces, Aves & Animantia terreſtria.

VII. Quintæ diei opus ſunt Piſces, Aveſque. Ad Piſces quod ſpectat, aquis originem ſuam illos debere, Moyſes (*b*) luculentiſſimè tradit. De Avibus ambigitur; nam ſunt, qui illos ex terrâ, vel ex aëre creatos velint. Sententia tamen, quæ utriſque eamdem originem tri-

(a) *Burnetus. Vide infra c. 9. n. 16.*

(b) *Geneſ. I.* 20.

tribuit, receptæ apud Patres traditioni inhæret (*a*). Imperavit poſt hæc Deus, ut è Terrâ prodirent animantia omnia, gradientia, atque repentia, quæ vitam degunt ſuper terram; quibus quemadmodum & piſcibus, volucribuſque fœcunditatem, intimumque in multiplicationem ſui generis amorem largitus eſt. An autem terreſtrium animantium creatio tribuenda ſit quintæ, vel ſextæ diei, incertum. Incertum item eſt, utrum gemina tantùm è ſingulis animantium ſpeciebus producta ſint, mas ſcilicet & fœmina, uti de hominibus factum ſcimus; an potiùs Deus undique per Orbem diſperſa animantia frequenti numero creaverit. Priorem ſententiam ſi admittamus, admittere quoque deberemus, carnivora aliorum carnibus veſci non cœpiſſe, niſi poſt animalium propagationem (*b*).

Primi Parentes creantur. Præadamitarum fabula. Angeli. Animæ. Sabbathum.

CAP. II.

I. AD Hominis conditionem ſextâ die ventum eſt. Grande hoc opus moliturus Deus: *Sexta dies. Adam creatur.*

(a) *Ambroſ. hymno ad Veſp. fer.* 5., *& l.* 5. *in Hexaëm. cap.* 14. *Cyrill. l.* 1. *in Geneſ. Baſil. hom.* 8. *in Hexâëm. Theodor. l.* 5. *de Divin. Decret.*

(b) *Nyſſen. or.* 2. *Baſil. hom.* 11. *Grotius hic.*

Faciamus, ait, *hominem ad imaginē & ſimilitudinem noſtram*; ſumptoque terræ ſimo corpus primi parentis finxit, eique animam indidit. Porrò hominis cum Deo ſimilitudo in pluribus ſpectari poteſt. Voluit ſcilicet Deus, ut homo vicem ſui gereret in terrâ, & ſemi-Deus quidam eſſet in Mundo, ut ipſi cætera, quemadmodum ipſe Deo, ſubderentur. Deus homini ſuam Sapientiam, Providentiam, Sanctitatem, liberum Arbitrium, cæteraque dona, quibus ille beatus redderetur, communicavit. Neſcio quid majeſtatis in humano corpore ſpectamus, quo ſupra bruta elevati ad Divinitatem ipſam aſſurgimus. Eſt etiam homo ad imaginem Dei, quod Jeſus Chriſtus, per quem, & ad quem creaturæ omnes factæ ſunt, hominum naturam aſſumpſit. Docent tandem nonnulli (*a*), Deum formoſiſſimi cujuſdam hominis ſpeciem tunc induiſſe, ad cujus exemplar primum hominem condiderit. Porrò primum Hominem utpote è ſubrubrâ terrâ compactum, *Adam*, hoc eſt, *Rufum*, ſive *Puniceum*, Deus appellare voluit, vel, ut appellaretur, providit. Eadem tamen vox, ex Æthiopicâ radice deducta, *Pulchrum* referre poteſt (*b*).

Animalium cenſus. Mulieris productio. Monogamia. Variæ de Eva creatione fabulæ.

II. Paulò poſt conſtitutis à Deo coram Adamo, nondum, uti quidem videtur, in Paradiſum

(a) *Prudent. in fine Apotheos. Lugub. in Coſmop. Salian. Annal. tom.* I.

(b) *Joſeph l.* I. *Antiq. c.* I. *Calmet hic.*

ſum terreſtrem translato, omnibus terræ animantibus, & Cœli volucribus, ut nomina convenientia ſingulis imponeret, Adamus illis proprio, præcipuaſque ſingulorum dotes explicante, nomine appellatis, Principatus ſui, & ſapientiæ ſpecimen exhibuit. Argumentum eſt enim authoritatis nomina rebus dare, cuncta etiam noviſſe Adamum, oportuit, rerumque naturam intimè penetraſſe, ut apta ſingulorum dotibus nomina inderet. Cum verò omnia animantia in illo luſtro ex ſingulis ſpeciebus bina ſaltem recenſerentur, mas & fœmina, ſolus homo, qui ſibi ſimile non haberet, repertus eſt. Hunc ergo defectum correcturus Deus, immiſſo in Adamum ſopore, unam ex illius coſtis avulſit, vacuum locum carne explens, ex eâque Fœminam coagmentatam Adamo excitato oſtendit. Ille mulierem ex viro eductam intelligens; *Virago* ſcilicet *Virilem* appellavit. Addit Scriptura: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne unâ*; quæ quidem verba alii Deo, alii Adamo tribuunt. Adamo ſanè favet ſermonis contextus. At Jeſus Chriſtus viſus eſt ſententiam illam tribuiſſe Deo, qui primam illam legem connubialem ſanciverit (*a*). Non deſunt tamen, qui velint, verba illa Moyſi deputari debere, id ſibi notandum cenſenti ad oſtendendum inviolabile illud inter vi-

 rum

(a) *Matth.XIX.* 5.

rum & mulierem fœdus. Unam autem dumtaxat fœminam uni viro produxit Deus, ut quid Reipublicæ, quid alendis educandiſque filiis, quid denique unitati & paci familiarum magnopere expediret, palam doceret: vix enim, ac ne vix quidem hæc ſervantur, ubi unus vir plures habet uxores. Plurium Rabbinorum commentum eſt, virum & mulierem ſimul creatos, & humeris adinvicem junctos, quatuor manibus, totidemque pedibus, ac duobus capitibus præditos, omnia ſimiles, præter ſexum; altoque ſomno ſopitos, à Deo ſeparatos, duoſque ex uno effectos (a). Eugubinus, illis adhærens, non humeris, ſed latere junctos vult, ita ut Deus, juxta Scripturam, fœminam ex Adæ latere eduxerit (b). Verùm Moyſes non eductam, ſed formatam ex Adæ coſtâ mulierem narrat, eamque antea non præextitiſſe liquidiſſimè docet: *Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus*. Nihil reipsâ geſtum cenſet Cajetanus, ſed in Philonis ſententiam concedens, omnia metaphorico ſenſu explicat; quæ quidem opinio claro patentique Scripturarum ſenſui æquè ac Patribus & Traditioni repugnat. Quamvis autem Moyſes productæ fœminæ hiſtoriam nonniſi poſt ſex dies creationis referat; recepta tamen vulgò ſententia, paucis adverſantibus (c), tenet ſextâ die

(a) *Samuel*, *Abarbanel*, *Manaſſe Ben-Iſrael.*

(b) *Eugub. in Coſmop.*

(c) *Origen. in Geneſ. hom.* 1. *Chryſoſt. in Geneſ. hom.* 15. *S. Thom.* 1. *p. q.* 73. *a.* 1. *ad* 3.

die utrumque creatum fuiſſe. Profectò ſi mas & fœmina eâ die creati non fuiſſent, nunquam Deus eâdem die utrique injunxiſſet: *Creſcite & multiplicamini*; ac tandem aliquid poſt requiem ſeptimæ diei patraſſet, cóntra fidem Moſaici textûs (*a*).

III. Utrique igitur Deus, ut genus humanum propagarent, imperavit, ſuâque benedictione donatis, fœcunditatem, immortalitatem, innocentiam, corporis ad animam ſubjectionem, animæ in Creatorem ſuum amorem pariter & obſequium, omniumqne denique naturalium & ſupernaturalium donorum copiam abundè largitus eſt. Super animantia, ſuper terram & mare jus datum, aſſertumque. Olera, legumina, radices, fructus, ſemina in cibum conceſſa (*b*). An carnium etiam uſum indulſerit tunc Deus, obſcurum eſt. Terræ fœcunditas, optima hominum temperatura, infrequens ab exordio animalium numerus, præcipua ſunt argumenta, quibus opinio negans probatur. Facilè tamen ea res, nullâ datâ ante diluvium lege, in medio poſita erat; à quâ proinde abſtinuerint boni quique frugique viri, non item verò impii.

Primi parentes donis augentur. Illorum cibus.

IV. En genuinam creati hominis hiſtoriam: Mirari nunc ſubit, eò oblivionis deveniſſe homines, ut ne originis quidem ſuæ recordarentur. Poëtæ hominum exordia deſcribentes, natos illos fabulantur, è terrâ recenti, & Cœleſti ſe-

De Hominum origine errores.

(a) *Geneſ. I.* 28., & *II.* 4.

(b) *Geneſ. I.* 29.

ſemine fœcundatâ ; ſive coagmentatos illos aſſerunt è terrâ quadam molli, admixto humore ſubactâ, cui Prometheus, ſubducto furtim è Cœlo igne, animam infuderit (*a*), Abſurdiora ſunt, quæ ferunt de Deucalione, ejuſque uxore Pyrrâ, qui jactis poſt terga lapidibus humanum genus poſt Diluvium repararint. Nec æquiora eâ de re tradunt Philoſophi ; quorum alii aſſertâ Mundi æternitate, aſſerendum ſibi pariter cenſuerunt, ſucceſſionem quamdam & circulum infinitarum generationum præceſſiſſe, inter quas prima fruſtra quæreretur. Alii verò, quibus principium Mundo conſtituere viſum eſt, homines, ſicut & cætera omnia, ex corpuſculis, ſive athomis inter ſe ſe fortuitò, ac prorſus temerè concurrentibus compactos docuerunt, minimè advertentes,quòd ex materiâ non cogitante, quantumvis illam fingas, & refingas, nunquam ſubſtantia cogitans, qualis eſt hominis mens, prodibit (*b*). His accenſendi, qui nullâ, aut ratione, aut authoritate ſuffulti, docuerunt, pluries innovatum Mundum, ejuſque materiæ Deum varias & varias indidiſſe formas ; Moyſem verò poſtremæ omnium hiſtoriam deſcripſiſſe.

Præadamitarum ſyſtema. V. Nullus autem inter eos, qui, novis exhibitis ſyſtematibus, de ſingulari ingenio ſibi placuerunt, Iſaaco Peirerio inſignior additaretur. Is ſuperiori ſæculo Præadamitarum hypotheſim

(a) *Ovid.* 1. *Metam.* 1. *num.* 1.
(b) *Vide ſupra cap.*

theſim innovans, commentus eſt, Deum diù ante Adamum plures ſimul homines per totam latè Mundi faciem creaſſe. Ex primis illis mortalibus Ethnicos acceſſit, ex Adamo Hebræos. Moyſes, ait ille; unicè tradendæ Hebræorum hiſtoriæ vacans, cæterarum gentium, ſi primum Geneſeos caput excipias, nonniſi obliquè, & ſi quid tantùm haberent cum Hebraicis rebus connexionis, meminit. Addit, Diluvium Noëmicum non univerſum ſubegiſſe Orbem, ſed eas tantùm regiones, quas Hebræi poſteri Adami, in ſecundo Geneſeos capite à verſu ſeptimo deſcripti, incolebant; ut non omnes Mundi gentes originem ſuam Semo, Chamo, & Japheto, Noë filiis debeant. Adamus Dei juſſiones transgreſſus, crimen induxit in Mundum, cujus contagione, univerſa ejus poſteritas infecta eſt. Ad Gentiles quod attinet, cum è Præadamitis nati ſint, nec proinde Legem, ſive præcepta à Deo acceperint, nullius damnationis rei habentur. Quamvis enim criminoſam vitam egiſſent, vitium tamen illis non imputabatur, quòd Deum ignoranter offendiſſent. Peccatum Adami nihilominus in omnes homines derivatum ac propagatum dicitur per quamdam communionem myſticam; ratione cujus & Fides Abrahami omnibus omninò Fidelibus imputatur, ſive ſint Judæi, ſive Gentiles, ut propterea Pater Credentium dicatur. Præadamitæ omnes, & ipſemet Adamus, antequam peccaſſet, morti naturali obnoxii fuerunt utpote ex materiâ corruptibili

compacti ; non verò morti legali , cui addictus eſt Adamus , ejuſque progenies ob Divinæ Legis tranſgreſſionem . His ita conſtitutis , tuebatur Præadamiticæ Fabulæ Aſſertor jactatam ultra tempora , per Sacras Scripturas nota , Chaldæorum , Egyptiorum , Sinenſium , aliarumque gentium antiquitatem.

Præadamitarum ſyſtema evertitur.

VI. Evertendo Præadamitarum ſyſtemati non eſt cur pluribus inſudemus , cum ab illius Authore unâ cum Calvini erroribus , quibus innutritus fuerat , damnatum jam , ejuratumque, ſciamus . Profectò diſcrimen illud à Peirerio invectum inter Adamum , Hebræorum parentem , & Præadamitas , é quibus Gentiles deducit , errantis phantaſiæ ludibrium eſt ; quod nedùm Scripturis Divinis , ſæpiùs , omnes omninò homines ab uno Adamo derivare , atteſtantibus (*a*) , opponitur ; ſed & vetuſtæ ultra 5000. annorum traditioni , eiſque omnibus , quæ Scriptorum conſenſu , & monumentorum antiquitate aſſerta ſunt , adverſatur . Ad hæc , ſanctum eſt apud Catholicos , omnes homines contrahere peccatum Originale , quòd filii ſint Adami , ob idque Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe. Hoc autem falſum eſſet , ſi aliqui homines Adamo præextitiſſent, aut ab eo originem non referrent. Quod primo Geneſeos capite Moyſes de Adamo preſſiùs dixerat , & quaſi propoſuerat , prolixius, accuratiùſque in ſecundo explicat , ut de

uno

(a) *Geneſ. IX.* 19. *XVII.* 26. 1. *ad Cor. XV. Sapient. X.* 1. *Actuum* 45.

uno eodemque Hominum Parente ſermo utrobique habeatur. Diluvium Noëmicum fuiſſe univerſale; cum ad illud pervenerimus, pluribus oſtendam: Quæ de Gentilium vitio, à culpâ & impietate remoto, Peirerius comminiſcitur, falſa omnes experimur; nullus enim hominum naturali ſaltem lumine, & ſynderefis ſtimulis deſtituitur, quibus volens nolens intelligere cogitur, quid ſit inter bonum malumve diſcriminis. Myſtica illa communio, & ſocietas, ratione cujus imputatur Fidelibus omnibus Abrahami Fides, in ſolâ exemplaris ratione fundatur. Solâ autem peccati Adami imitatione homines eſſe peccatores, & dici, illud erroris eſt, quod in Pelagianis confixit Eccleſia: quos etiam anathemati ſubjecit, quòd dicerent, Adamum mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, illi moriendum eſſet, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ (*a*). Et quidem vana omninò eſſet, & ſuperflua illa, quam Adamo Deus comminatus eſt, ſententia: *Terra es, & in terram reverteris* (*b*); ſi verum eſſet, ex eo Adamum moriturum, quòd materiâ corruptibili componeretur. Tandem jactata illa temporum antiquitas inter fabuloſa computatur (c).

VII. Peirerius in ſuam ſententiam illa potiſſimum derivabat, quæ de Cain tradit Scriptura. Poſtquam ille intellexit, palam eſſe, quod pa- *Præcipuum Præadamitarum fundamentum.*

tra-

(a) *Concil. Milevit. can.* 1.

(b) *Geneſ. III.* 19.

(c) *Vide infra l.* 2. *c.* 12. *n.* 26. *& l.* 4. *c.* 14. *num.* 16.

traverat, fratricidium, conſilium iniit fugiendi a patrio ſolo, illud obtendens: *Omnis qui invenerit me, occidet me* (a). Erant ergo, inferebat ille, homines, a quibus Caino fugeret, ne plecteretur. Rurſus, in Orientem progreſſus fratricida Urbem condidit, quam ex nomine filii ſui, Henoch appellavit. Sed quibus architectis & fabris urbem illam fundavit? Quibus civibus illam compoſuit? An ex familiâ patris ſui Adami deducta colonia Caini intento ſuffeciſſet? Ut huic objectioni fiat ſatis, ſupponendum eſt, Abelem occiſum fuiſſe circa annum Mundi 129. Anno enim 130. damnum ſublati Abelis reparaturus Deus, Adamo & Evæ Sethum conceſſit (b). Probabiliſſimum autem eſt, tunc temporis ad multa millia propagatum fuiſſe genus humanum; cum intra 215. annos, quos in Ægypto egêre Iſraelitæ, uſque ad ſexcenta millia virorum tractandis armis idoneorum multiplicati ſint. Fratrum ergo ſuorum, nepotumque (ne quid dicam de parentibus, vel etiam de brutis, quibus aliquando ultionis ſuæ adminiſtris utitur Deus) indignationem Cain ſibi metuebat. Condendæ autem & incolendæ Urbi Henoch ſufficiens erat hominum per Cainum progenitorum multitudo; magnus enim viro illi eſſe poterat filiorum & nepotum numerus, cum nato Henoch Urbis ædificationem aggreſſus eſt. Multum autem detraheretur difficultati, ſi id quod vero pro-

(a) *Geneſ. VI.* 14. *num.* 1. 2.
(b) *Vide infra c.* 6.

propius eſt, reputaremus, urbem nonniſi poſtquam Henoch ad plura annorum centena perveniſſet, ædificatam fuiſſe. Tandem exiſtimandum non eſt, urbes ab exordio conditas fuiſſe eâ ratione, iis regulis, eo apparatu, quo nunc illas fundari videmus. Niſi mavis dicere, Adamum, ſummâ ſapientiâ a Deo præditum, plura de ædificandis urbibus, cæteriſque artibus filios, nepoteſque docuiſſe, quæ illis longo exercitio, & experientiâ ſuccurriſſent quidem; ſed forte tardiùs, quàm pro opportunitate.

Angelorum creatio. VIII. De Angelis nihil apud Moÿſem in principio ſuæ hiſtoriæ, niſi fortè cum a Deo creatum Cœlum ſcripſit, ſub ejus nominis ambagibus creatos Angelos, Cœli ſingulares incolas, deſignavit; quod nonnulli ex Patribus tradiderunt (a). Autumarunt alii, non Cœli, ſed Lucis nomine a Moyſe indicari (*b*). Sunt etiam qui velint, Angelorum creationem Mundum prævertiſſe (*c*); quam quidem ſententiam innuere videntur illa Dei ad Job verba: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ, ... cum me*

ſimul

(a) *Origen. hom.* 1. *in Geneſ. Beda, Strabus.*

(b) *Aug. l.*1. *de Geneſ. ad lit. c.*9., & *l.*XI. *de Civit. c.*9., *qui tamen alibi variat, hæretque ſuſpenſus. Petrus Lombard. in* 2. *diſt.* 13. *Rupert. l.*1. *de Trinit. c.*10.

(c) *Baſil. hom.* 1. *in Hexaëm. Gregor. Nazian. or.*38. & 42. *Severian. Gabal. or.* 4. *Jo. Damaſc. l.*2. *de Fide Orthod. c.*3., & *l.*4. *c.*14. *Ambroſ.* 1. *in Hexaëm. c.*5. *Hieron. in c.*1. *Epiſt. ad Titum.*

ſimul laudarent Aſtra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei? (a) Potior tamen Latinorum pars cum Græcorum nonnullis ante ſpectabilem hunc Mundum Angelos creatos negant. Certum autem eſt, exploratumque, Angelos omnes unam eamdemque naturam a Deo retuliſſe, ut malorum diſcretio non a Deo, ſed ab ipſorum nequitiâ repetenda ſit (b); qui conceptâ de homine tot tantiſque privilegiis à Deo donato, invidiâ, noſtram felicitatem non ſuſtinuerint; vel, ut aliis viſum, immodicâ, quâ de præclaris ſuis dotibus ſibi placebant, vanitate illecti, ita ſe geſſerint, ac ſi illas à Deo minimè accepiſſent. Angelis autem perduellibus Deus nullum dedit pænitentiæ ſpatium; ſed ſtatim tumultuantes inſolubilibus catenis vinctos evulſit è Cœlo, ac præcipites in Tartarum egit. Tartarus dicitur id quod in quâque re infimum eſt. Hinc inferior aëris regio, ſi quoſdam audias, conſtituta eſt dæmonibus carcer. Verùm plerique docent, illos ſedem habere in centro Terræ, ubi exquiſitis torqueantur ſuppliciis; quoſdam tamen, Deo ita permittente, in aëris regione, atque ſuper terram vagari, ut homines tentent, juſtamque Dei ſeveritatem in illos exerceant. Porrò cum Moyſes populos rudes, pronoſque in idololatriam inſtituendos ſuſcepiſſet, nihil propterea diſertis expreſſiſque verbis de

(a) *Job. XXXVIII. 7.*
(b) *Judæ v. 6. 11. Petri II. 4. Vide Diſſert. Calmeti de Bonis Maliſque Angelis.*

de excellentiſſimâ Angelorum naturâ illis ingerendum erat.

IX. Ut boni ſunt pravique Angeli, ita pariter & Animæ, ſi Judæos audias; qui & docent, illas omnes ſimul creatas ab exordio, pellectuque quodam à naturâ inſito, cui difficilè reſiſtunt, in corpora trahi, ſuas illuc afferentes ſive bonas, ſive malas habitudines, quas in priori vitâ induerint. Spiritus, ajunt Hebræorum Doctores, in tres claſſes dipeſcuntur; qui in corpora humana ita feruntur, ut in unum coaleſcentes cum corpore, hominem conſtituant, Animæ ſunt. Qui verò corporibus minimè devincti inter Deum, hominesque veluti Mediatores ſe ſe exhibent, Angeli appellantur. Qui denique ultionis & juſtitiæ Dei miniſtri ſunt, Dæmoniorum cenſum conſtituunt; ut omnes ſpiritus non naturâ, ſed indole tantùm, munere, & nomine inter ſe diſtinguantur (*a*). Si quæras: Eccur in humana corpora labantur Animæ? Ex eorumdem doctrinâ reſpondetur: Ut peccata vitæ alterius, ante actæ, expient; ut id, quod ſibi deeſt perfectionis, aſſequantur; ut opem ferant alteri animæ, quâ corpus jam præditum eſt, ad ſuperandas peccati vires; nec deſunt, quæ ad corpora veniant, ut corporeis voluptatibus fruantur. Errores erroribus cumulantes addunt nonnulli Metempſychoſim, ſeu Ani-

Animæ, quas ab Angelis Hebræi non diſtinguunt.

(a) *Philo de Cain & Abel, de Somniis, de Gigant., & alibi. Joſeph de Bello l. 2. c. 12. Manaſſes Ben-Irael Concil. in Geneſ.*

Animarum tranſmigrationem, quâ non ſemel tantùm & iterum, ſed terve quaterve nonnumquam ex uno in aliud hominum, & etiam ferarum corpus, quin & in ipſas res inanimes, uti plantas fonteſque, Animæ tranſmigrare perhibentur. Hinc Cabaliſtæ, genus Hebræorum literatorum, ex tribus literis, quibus nomen Adam juxta Hebraicam ſyntaxim conſtat, fecerunt *Adam*, *David*, & *Meſſias*, fabulantes, Adami ſpiritum in Davidem traſmigraſſe, tranſmigraturum deinde ex Davide in Meſſiam. Ad Animarum creationem quod ſpectat, paria cum Hebræis Platonici, Origene minimè refragante (*a*), docentes, productas & illas omnes ſimul ab exordio ſentiebant. Auguſtinus hæſitabat, an præexiſterent corporibus, an cum corporibus propagarentur per generationem, an denique crearentur identidem, juxta ac nova corpora producuntur (*b*). Poſtremam hanc ſententiam modò ſuſcipimus omnes.

Sabbathum ejuſque religio. X. Cum ſex diebus Mundi creationem ita Deus compleſſet, ut nihil præſtandum remaneret, ſeptimâ die requievit, eamque ſuâ benedictione conſecratam ſibi reſervavit, ut ſcilicet ſucceſſu temporis feſta, divinoque cultui addicta, lege per Moyſem aliquando ferenda (*c*), haberetur. Patrum tamen nonnulli cum Judæis qui-

(a) *Origen. in Matth. tract. 35. & alibi.*

(b) *De libero arbitr. & Retract. l. 1. c. 1.*

(c) *Exod. XVI. 23. & XX. 8.*

quibuſdam Doctoribus tenent (*a*), collatam ſeptimæ diei, ex quiete Sabbathum appellatæ, benedictionem id potiſſimùm tuliſſe, ut Deus diem illam ex tunc cultui ſuo ſpeciali conſecraverit; quam proinde ſanctam habuerint à principio homines, ſaltem illi, qui Juſtitiæ laude vel inter Ethnicos diſtinguebantur, ac ſanctiſſimi quique ante Moyſem Patriarchæ. Fateor quidem & ego, Sabbathum publicum eſſe Feſtum, quod eâ die Mundi creatio perfecta fuerit. Non inde tamen ſequitur, feriatum fuiſſe per univerſum Orbem. Scripturæ namque & Patres, teſtantur, Sabbathum unâ cum Circumciſione teſſeram fuiſſe, quâ Judæi à cæteris omnibus diſtinguerentur (*b*).

XI. Philo, Origenes, & S. Auguſtinus, quos quidem alii ſequuntur, Mundum unâ ſimul ſtetiſſe, creatum & diſpoſitum docuerunt, reputantes, Moyſem per ſex dies, ordinis & rationis ſucceſſionem denotare voluiſſe, ut rudi populo major rerum creationis idea inderetur. Sex autem illos operoſos dies ad Angelorum notitiam refert Auguſtinus, quâ opera ſingula in Deo primùm cognoverunt, quæ illi dicitur matutina cognitio, deinde in ſe ipſis, quæ eſt veſpertina (*c*). Communior tamen veriorque ſententia *Succeſſiva creatio aſſeritur.*

(a) *Euſeb. Præpar. l.*13. *c.*12. *Clem. Alex. Strom.l.*5. *Philo de Opif. Mundi*, *Joſeph contra Appion. l.*2.

(b) *Ezech.XX.*12. & 20. *Deuter.V.* 15. *Iren. contra Hæreſ. l.*4. *c.*30.

(c) *Aug. l.*11. *de Civit. c.*9.

tentia continuatam per ſex dies creationem ſuſtinet; neque enim litera, ſeu hiſtorica narratio, niſi per ſummam neceſſitatem, deſerenda eſt. Illud autem Eccleſiaſtici, quod in contrarium adducitur: *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul* (*a*); nihil aliud ſignificat, niſi omnia communiter, pariter, ſeu univerſim, & ex æquo, nulloque excepto, fuiſſe creata. Non malè etiam interpretaretur de Chao, & materiâ, in quâ omnia præcontinebantur. Deus igitur ex nihilo materiam, omnium rerum ſpectabilium ſeminarium, unico momento produxit; quam deinde ſpatio ſex dierum agitans, & in diverſas creaturas diſtribuens, qualem modò videmus, Mundum perfecit. Inde requies à novis rebus creandis facta; conſervandis tamen, dirigendiſque jam productis, ut, ut novo fœtu pereuntium damna repararent, nunquam à Deo ceſſatum. Tandem incredibile eſt, Moyſem opificium Mundi rudi Hebræorum populo deſcribere voluiſſe per cognitiones Angelorum matutinas & veſpertinas, vix Theologis ipſis ſubtilioribus exploratas.

Pa-

(c) *Eccleſ. XVIII. 1.*

Paradiſus Terreſtris. Variæ de illius ſitu ſententiæ. Arbor Vitæ & Arbor Scientiæ.

CAP. III.

I. QUamquam Deus plantas herbaſque terræ commiſiſſet jam inde à tertiâ die, adhuc tamen terræ facies ſimplex erat, & minùs ornata, quòd herbæ & plantæ minùs multiplicarentur. Non enim dilapſis è Cœlo pluviis fœcundata, neque labore & induſtriâ hominum culta erat terra; ſed vapor tantùm quidam, ſicut ros, ſuper terram affuſus, avarum plantis alimentum præſtabat (*a*). In Provinciâ igitur Eden creavit Deus locum quemdam in modum amœniſſimi cujuſdam viridarii, cui nulla arborum plantarumque, tam ad ornamentum, quàm ad cibi delicias, deſideraretur, ut gratum primis parentibus eſſet domicilium. Locus iſte,qui Paradiſi terreſtris nomine omnium ore celebratur, habebat in ſinu ſuo fontem amnis, uberibus aquis ſolum irrigantis; quæ deinde aquæ quatuor ingentes fluvios, Phiſon, Gehon, Tigrim & Euphratem implerent. Docent plures, Paradiſum conſitum fuiſſe poſt creatum Adamum. Alii id tertiæ creationis diei malunt deputare. Textus Latinus fert, Deum illum plantaſſe *à principio*. Hebræi ſanè & alii nonnulli ve-

Paradiſi amœnitas,& tempus, quo conditus eſt.

(a) *Geneſ.II. 5.& 6.*

vetuſtiorem Mundo faciunt Paradiſum. Verùm plerique Hebræum *Mikkedem* interpretantur, *Ab Oriente*, ſive *ad Orientem*; ut locum, in quo conditus eſt Paradiſus, non tempus, ſignificet.

Variæ de ſitu Paradiſi terreſtris ſententiæ. II. Aliqui terreſtrem Paradiſum nunquam extitiſſe, atque in ſenſu allegorico, quæ Moyſes de illo narrat, ſumenda eſſe, cenſuerunt (*a*). Cæteri verò, quibus ſaniora, unoque Patrum ore aſſerta probantur, in diverſa abierunt, ut nulla mundi pars ſit, in quâ Paradiſus non requiratur; non Aſia, Africa, Europa, America, Tartaria, Oræ Gangeticæ, Indiæ, Sinæ, Inſula Ceilani, Armenia, regio ſub Æquatore, Meſopotamia, Syria, Perſia, Babylonia, Arabia, Æthiopia, ubi montes Lunæ, vicinia Libani & Antilibani, tertium Cœlum, Lunæ Cœlum, Luna ipſa, media aëris regio, regio ſub Polo (*b*). Tres tamen ſententiæ magis obtinent; è quibus fruſtra expectaremus, ut deſignetur in Mundo amnis, ſive fons, unde quatuor illa flumina oculorum teſtimonio oriri probarentur. Fortè in occulto terræ ſinu habent communem, individuamque originem. Fieri etiam potuit, ut diluvium univerſale amicam illam affinitatem divelleret; aut terræ concuſſionibus indiviſi olim amnium fontes, eumdem, quem antea tenebant, non ſervarent locum.

III. Cle-

(a) *Philo*, *Origenes*, *Seleuciani*. *Vide Aug. l.8. c.1. de Geneſ.ad lit.* *Burnetus idem ſentit.*

(b) *Vide Huetium de Paradiſo terreſtri.*

III. Clerico igitur & Harduino, aliiſque non-nullis, Paradiſus terreſtris eſt in Syriâ circa Libanum, Antilibanum, & Damaſcum, protenſus in Meſopotamiam, uſque, ubi fontes Tigris & Euphratis. Phiſon in hac opinione eſt Chryſorroas, modicus in eo tractu amnis; Gehon verò, Orontes. Verùm Authores iſti numquam à nobis impetrabunt, ut regionem Eden, Paradiſi locum, in aſſignatâ Syriæ portione, ſitam fuiſſe, credamus; cum ex variis Scripturarum teſtimoniis colligatur, regionem illam Orienti propiorem fuiſſe, atque ad Armeniam Aſſyriamque ſpectaſſe (*a*).

Clerici ſententia de Paradiſi ſitu.

IV. Exquiſitius aliquid, magiſque Scripturis conveniens excogitavit Huetius Epiſcopus Abricenſis. Conſtituit doctiſſimus Author Paradiſum in Meſopotamiâ ad confluentem Tigris & Euphratis, qui junctis aquis *Flumen Arabum*, uti appellant, efficiunt. Locus igitur intermedius inter horum amnium junctionem & divortium, antequam in Mare Perſicum influant, ad oram potiſſimùm orientalem ejuſdem Fluvii Arabum, Paradiſo deſtinatur. Porrò amnis illius quatuor ſunt oſtia, duo ſcilicet dum aquæ junguntur, totidemque dum ſejunguntur. Superiora Euphratem & Tigrim, inferiora Phiſon & Gehon nuncupat. Hæc ſententia ferè

Quid excogitaverit Huetius.

E 2 etiam

(a) *Geneſ. II.* 8. *Iſa. XXVII.* 23; 4.*Reg.XIX. XXXVII.* 12. *Ezech.* 12. & 13.

etiam Bocharto placuiſſe videtur (*a*). Habet tamen illud incommodi, quòd è quatuor fluminibus à Moyſe aſſignatis, duo tantùm reapſe conſtituat, Tigrim ſcilicet & Euphratem; recurſus enim ad quatuor oſtia, ut quatuor aſſignentur flumina, plus ingenii, quàm ſoliditatis habere videtur. Quid, quod duo illi Tigris & Euphratis in unum eumdemque Arabum Fluvium nonniſi ſerò coivêre (*b*). Altum eſt ſilentium de Auro ad ſinum Perſicum; & tamen Moyſe teſte Phiſon regionem, auro divitem, decurrit. Quando concederetur, eo loci conſignandas eſſe regiones Hevilath, & Chus ſive Æthiopiæ, quas Phiſon & Gehon irrigare perhibentur, nemo tamen ſatis aptè reputaret, duos illos Tigris & Euphratis factos ex aquarum divortio ramos circumire per univerſas regiones illas, ut fert Moyſes, cum minimam tantùm illarum portionem radant.

Calmeti opinio, quæ omnibus præfertur.

V. Calmetus collocat Paradiſum terreſtrem in Armeniâ inter fontes Tigris, Euphratis, Phaſidis & Araxis (*c*). Obſervat clariſſimus Scriptor inter nomina Phiſon & Phaſis multum eſſe ſimilitudinis. Gehon quoque, quod ſonat, impetu quodam fluere, ſignificationis cognatione ad Araxem accedit; Araxes enim eadem in in Græco ſignificat; nec ſanè alius eſt amnis,

qui

(a) *Phaleg. l. 1. c. 4., & de Anim. Sac. p. 2. l. 5. c. 6.*

(b) *Plin. l. 6. c. 27.* *Cellar. Geograph. l. 3. c. 16.*

(c) *Calmetus in Geneſ. II. 10. &c.*

qui majori impetu feratur. Cætera etiam congruunt. Moyſes enim, fluvium Phiſon Hevilath, provinciam auri feraciſſimam circumire, tradit. Quis autem immenſas Colchidis, ubi pluribus mæandris Phaſis excurrit, opes ignorat? Spectabantur illic aurea conclavia, trabes, columnæ, baſes argenteæ (*a*). Ejuſdem, ſive finitimarum regionum (non enim novimus veteris Colchidis limites) torrentes & fluvii aureas paleas vehebant; quibus colligendis incolæ arietum velleribus, excavatiſque quibuſdam lignis, in profluentem injectis, utebantur (*b*). Hinc aurei Velleris & Argonautarum fabula procuſa. Ibi pariter inveniebantur *Bedolah* & lapis *Schohem*, de quibus Moyſes. Vulgò enim Interpretes Bedolah Bdellium vertunt, quod gummi genus eſt. Ad Schohem quod ſpectat, varii varia interpretantur; Vulgata autem lapidem Onychinum præfert. Sunt tamen, qui poſt Philonem Smaragdum malint. Inter varia autem Bdellii, ſicuti & Smaragdi genera, Scythicum numeratur; quin Smaragdum Scythicum omnibus præſtare, ex Plinio diſcimus (*c*). Regionem autem ſuam Scythæ uſque ad Phaſidem prorogabant (*d*). De nominum Hevilath & Colchis diverſitate non eſt cur angamur. Scimus enim, Jaſonem, dum tractum illum, qui Pontum Euxinum cum Mari Caſpio continuat, regeret, amnium & provinciarum nomina mutaſ-

 ſe

(a) *Plin.Hiſt.l.*33.*c.*3.
(b) *Strabo l.*11.
(c) *Plin.l.*37. *Hiſt.c.*5.
(d) *Solinus c.*24.

ſe (*a*). Aſſignanda modò eſt ad Araxem regio Chus ſive Æthiopiæ, quam Gehon proluit. Cutæi, quibus Salmanaſar Samariam incolendam dedit (*b*), facilè poſteri erant Chus. Nomina ſanè Chut & Chus ſatis adinvicem conveniunt: Gentes autem illas ſubactas antea fuiſſe à Theglaphaſare, atque ab ipſo pariter Salmanaſare in bello illato Mediis, ad quos latera Caſpii, ubi Araxes, ſpectabant, pluribus oſtendit Calmetus (*c*). Eôdem ſpectat admiranda regionis, quam decurrit Araxes, ubertas. Spontè ſuâ bona omnia à beato illo ſolo prorumpunt. Vineæ tantâ ubertate diteſcunt, ut colligendi diſperationem ingerant. Semel commiſſum terræ ſemen, iterum & tertiò alicubi fructum reddit. Satæ de novo arbores altero anno fructificant. Læta aëris temperies (*d*). Hæc ſanè quædam Paradiſi terreſtris præſeferunt veſtigia.

Phiſon de Gange, & Gehon de Nilo quidam interpretātur.

VI. Qui nomen Phiſon de Gange, ſicut & Gehon de Nilo uſurpatum credidere (*e*), ad locorum ſitum, atque ad veri ſpeciem non ſatis attendiſſe viſi ſunt. Quomodo enim Paradiſus, primis parentibus in ſedem deſtinatus, brevibuſque ſpatiis, quantùm ex Scripturâ intelligimus, circumſcriptus, ita latum continebat terrarum tra-

(a) *Strabo l.*11.
(b) 4.*Reg.XVIII.*24.
(c) *Calmet in Geneſ. II.*13.
(d) *Strabo l.*11.
(e) *Joſeph l.* 1. *Antiq.c.*1.*Epiphan.in Anchor. Aug. l.* 8. *de Geneſ. ad lit. c.*7. *Janſen. hic. Sacerdos quidam Ægyptius apud Lucanum l.*10.

tractum, ut in ſinu ſuo Gangis, Nili, Tigris & Euphratis fontes compleċteretur? Quis autem in animum induxerit, Gangis & Nili fontes ex Armeniâ quidem duci oportere, fluere verò cæcis ſub terram canalibus, ut alter in Indiâ, alter in Æthiopia emergant? Sunt utique auro & gemmis divites Indiæ, & ad Gangem regiones; ſed & alibi etiam locorum occurrunt.

VII. Inter arbores, quibus Paradiſus decorabatur, excellebat Arbor vitæ, quæ mortis arcendæ ſuo fructu remedium ſufficeret præſentiſſimum. Immortalitatis genus eſt quoddam, ſi quis letho ſubdi non poſſit; quâ quidem immortalitate fruitur Deus. Altera immortalitas eſt, quâ in eo ſtatu quis conſtituitur, ut poſſit non mori (*a*). Hoc inferiori immortalitatis genere donatus fuit Adam; ita enim viri illius res habebant ſe ſe, ut ſi ſanctum illibatumque ſervaſſet Innocentiæ ſibi collatæ privilegium, ac quotidianas vitæ erogationes fructu arboris vitæ reparaſſet, vitam ſanè diuturnam prorogaſſet ſuper terram; ac tandem in feliciorem vitam translatum, nullam arcendæ morti deguſtandi cibi neceſſitatem habuiſſet. Docent Hebræi, Adamum poſt exactum vitæ diuturnæ curriculum, diem clauſurum quieto & ſine dolore interitu; quem illi non mortem, ſed oſculum pacis appellant (*b*). Apage Rabbinica. *Arbor vitæ.*

VIII. Arbor quoque Scientiæ boni & mali in *Arbor Scientiæ.*

E 4

(a) *Aug. Oper. Imperf. in Julian. l. 6. c. 3.*

(b) *Grotius in Epiſt. ad Rom. V. 12.*

Digitized by Google

in Paradiſo collocata erat; cui ex Joſepho (a) proprium eſſet indere rectè intelligendi, aſſequendique omnia facilitatem. Communior tamen ſententia fert, arborem illam idcircò dictam fuiſſe Scientiæ boni & mali, quòd ab eâ Adam docendus eſſet bonum & malum. Cum enim tranſgreſſionis ejus occaſio futura eſſet, experimento erat demonſtratura, quantùm novus culpæ ſtatus à priori Innocentiæ differret (b). Succurrit quibuſdam dubitare, an arbor iſta eadem eſſet ac arbor vitæ; ſed quæ ſententia duas arbores diſtinguit, multò eſt acceptior, magiſque textui inhæret. Diſquiritur etiam, quem fructum arbor ſcientiæ haberet. Frumentum reputarunt nonnulli, uvam alii, ceraſum quidam, ficum multi, pomum tandem plerique. Laudatur in poſteriorem hanc ſententiam illud Canticorum: *Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua* (c). Sed certò affirmandum, alium eſſe verbis illis ſenſum, quám ut crimen Evæ deſignet. Perſuaſum habuit Auguſtinus (d), arborem vitæ dotibus ſuis non à naturâ datis, ſed prodigio à Deo acceptis, valuiſſe; quod tamen multis non probatur (e).

Ten-

(a) *Joſeph. Antiq. l.1. c.1.*

(b) *Chryſoſt. hom.13. in Geneſ. Theodoret. q. 27.in Geneſ. Aug.l.8. de Geneſ.ad lit. c.14. & l. 14.de Civit.c.17.*

(c) *Cant.VIII. 5.*

(d) *Aug. l.8. de Geneſ.ad lit.c.5.*

(e) *Joſephus, Bonaventura, Strabus, Hugo Victor., Abul.*

Tentatio Serpentis. Adami & Evæ crimen. Pœna illis inflicta. Mundi corruptio.

CAP. IV.

I. Statim à creatione Adamus & uxor illius in Paradiſum terreſtrem translati ſunt, ut illum colerent ad voluptatem, non ad laborem, impedirentque, ne ab animantibus vaſtaretur. Utrique (*a*) autem injunxit Deus, ut cæterarum arborum fructibus contenti, à fructu Arboris ſcientiæ boni & mali abſtinerent, pœnâ mortis in transgreſſores indictâ. Per aliquod temporis ſpatium felicem & inſontem vitam duxerunt, ut ne nudi quidem erubeſcerent. At Diabolus invidiæ ſtimulis exagitatus (*b*), ementiti anguis exuviis, ſeu potiùs veri inſtrumento uſus, mulierem talibus convênit. Cur Deus omnium, qui in Paradiſo ſunt, fructuum comeſtionem non permiſit? Cui illa: Libera nobis eſt data in omnes fructus facultas, uno tanto excepto; quem ſi comedere aut tangere auderemus, mors facilè nos maneret. Nihil eſt, excepit Diabolus, quod mortem timeatis. Quin ea fructui vis ineſt, ut guſtantibus Divinitatis prærogativam, boni malique diſcretionem conferat. Idcircò autem Deus eſum illius interdixit, ne ad tantæ di-

Primi Parentes tentantur, & labuntur.

(a) *Geneſ. II. 25. & III. 7.* (b) *Sapient. II. 24.*

dignitatis faſtigium eveheremini. His ſeducta mulier, gratoque ejus fructus aſpectu illecta, ex arbore illum avulſit, comeditque. Viro deinde ſuo detulit, qui & ipſe guſtavit. Quid autem virum impulerit, ut uxoris exemplum imitaretur, non ſatis conſtat; an ſcilicet argumenta a ſerpente mulieri adducta, quæ illa ad virum retulerit; an divinarum juſſionum contemptus; an ſervitutis Deo præſtandæ tædium; an præpoſtera in uxorem indulgentia? Hoc ultimum apud Patres & Interpretes magis obtinere video.

Carnis à ſpiritu defectio. Pœna in ſerpentem decreta. Oraculum de Meſſia.

II. Deguſtato vix fructu, carnis à ſpiritu defectio pudorem in transgreſſores induxit de probro, apertisque velut amborum oculis nuditatem ſuam agnôvere, quod antea nunquam experti fuerant, concupiſcentiæ, & erubeſcentiæ puerorum inſtar vacui omninò & ignari (a). Conſutis proinde ficûs foliis, paratiſque ex illorum plexu zonis, tegendo utcunque corpori operam navarunt. Cumque Dominum, occidente jam Sole, in Paradiſo deambulantem audiſſent; in intimum ſaltum ab illius conſpectu diffugerunt. Compellanti verò Adamum Domino, ille ob ſuam nuditatem fugiſſe ſe, reſpondit. Ex quo, ait Deus, te nudum eſſe didiciſti, niſi ex deguſtato à te, quem vetueram, fructum? Cum verò Adam totam facinoris ab ſe patrati invidiam in mulierem, ab eo ſociam ſibi adjunctam regereret, ad mulierem ip-

(a) *Geneſ. II. 25. & III. 7.*

ipſam converſus Deus : Quare, dixit, hoc feciſti ? Et illa : Serpens decepit me, & comedi. Serpentem igitur Deus diris devovens, ut ſemper reptaret, terramque comederet, damnavit. Aeternas quin inter illum & mulierem inimicitias futuras prædixit, ut alter alterius calcaneo inſidiaretur, & altera (*a*) alterius caput contereret. En luculentiſſimum, ſi quod aliud, de adventu Meſſiæ, generis humani reparatoris, Dæmoniſque victoris oraculum (*b*). Mulier caput ſerpentis contritura eſt B. Virgo Maria, Jeſu Chriſti Mater, à quo profligata vis omnis Diaboli, antiqui ſcilicet ſerpentis (*c*), fruſtra ſibilantis in calcaneum Mariæ, in humanam nempe Chriſti naturam, inque addictos illi famulos, cui quidem interpretationi robur addunt Hebræus, & Septuaginta, victoriam de ſerpente reportandam, non mulieri, ſed illius ſemini, ſive filio attribuentes. Non enim legunt, ut vulgata : *Ipſa*, ſed *Ipſe conteret caput tuum*. Hinc ſpes omnis & vota, quibus Judæi cujuſcunque ætatis in Meſſiam erigebantur, derivata. Hæc tamen minimè prohibent, quin horror, qui hominibus ſedet in angues, & abominatio, ſatis aliunde indicet, quàm vera de anguis maledictione renunciaverit Moyſes.

III. In mulierem deinde animadvertens Deus, *Pœna Evæ, & Adamo inflicta.*

(a) *Geneſ. III.* 15.

(b) *Iren. l.* 4. *adver. Hæreſ. cap.*78. *Cyprian. l.* 2. *Teſtimon. adver. Judæos c.* 9. *S. Leo ſer.* 21., *qui eſt* 2. *de nativit. Domini*, *c.* 1.

(c) *Apoc.XII.*9. 14.

us, ut viri ſubderetur imperio, partus geminaret (*a*) & in pariendo exquiſitis torqueretur doloribus, edixit. Adamo tandem: Quòd uxori obtemperaveris, ait, vetitumque guſtaveris fructum, terra maledictioni ſubjecta, quæ ad vitam tolerandam neceſſaria ſunt, nonniſi labore & ſudore expreſſa, ſpinis ad hæc tribuliſque permixta, tibi ſufficiet, *donec revertaris in terram, de quâ ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem revertêris*. Intelligens Adamus quòd prorogata ſibi eſſet vita poſt peccatum, ac data inſuper ſpes, ut poſteritatem ſuam per uxorem propagaret, *Evam*, matrem ſcilicet viventium, illam appellavit. Potuit tamen Adamus, dum glorioſum illud nomen uxori ſuæ imponeret, ad Meſſiam ſibi, uxorique promiſſum, qui ex illâ per Mariam natus veram ſempiternamque vitam mortalibus erat procuraturus, reſpexiſſe; cum alioquin ſeclusâ ratione myſterii prima mulier poſt lapſum mater omnium morientium potiùs appellanda fuerit (*b*):

Adam & Eva è Paradiſo pelluntur. Cherubim locum cuſtodit.

IV. Secundùm hæc, Deus Adamo & Evæ tunicas ex animalium pellibus, ſive ex arborum corticibus (*c*), ad nuda corporis tegenda compoſuit; quibus ita veſtitis: Vah! dixit; Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & ma-

(a) *Septuaginta habent*: Multiplicabo ærumnas & gemitus; *ſed Hæbræus & vulgata*: Ærumnas, & conceptus.

(b) *Iren. l. 5. adver. Hæreſ. cap. 19.*

(c) *Theodoret. q. 39. in Geneſ.*

malum. Cavendum, ne ſumat, & de ligno vitæ, ſibique inde vitam æternam inducat. Nec mora; extorrem illum unà cum uxore egit è Paradiſo. De loco, quem é Paradiſo expulſus petiit, ambigitur. Sunt, qui in Meſopotamiam, qui in Armeniam, qui in Mediam, qui in Aſsyriam, qui in Paleſtinam illum progreſſum velint. Quò verò ſpes omnis illuc regrediendi amputaretur, Cherubim flammeo gladio armatum, ante Paradiſi aditum, ut ingreſſum tentantes prohiberet, Deus collocavit. Nomine Cherubim Angelos, qui aëreo corpore ſpectandi igneos gladios tractarent, deſignari, communis eſt Scriptorum ſententia. Quidam tamen eo emblemate ſignificata malunt ſpectra & terriculamenta, quibus Adam è Paradiſo arceretur (*a*). Tenent alii, igneum gladium eſſe Zonam torridam, quæ Paradiſum ſub æquinoctiali lineâ conſtitutam, ferventioribus & intolerabilibus, uti quidem illis videtur, æſtibus ab hominum acceſſu tueatur (*b*). Docet Lyranus, celſiſſimi cujuſdam montis faſtigium ſedem fuiſſe Paradiſi, eumdemque locum igne Deum ſepiviſse, ne aditus illuc pateret. Si Grotio credas, Cherubim & igneus gladius unum idemque ſunt. Igne ſuccendi ſpectantur quidam circa Babyloniam agri, ex naphtâ, ſive bitumine ebullientes.

(a) *Theodoret. q.* 40. *in Geneſ.* c. 47. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 164. *ar.* 2.

(b) *Tertull. Apolog.*

tes (*a*). Hoc in igne author ille tum Cherubim, tum igneum gladium conſtituit. Sed alios à gladiis Cherubinos fuiſſe, textus Moſaicus inſinuare videtur: *Collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem* (*b*). Cæterum par eſt, ut credamus, Cherubinos ſpeciem ſui tamdiù exhibuiſſe, quamdiù primi homines in conſpectu erant loci, & primigenia illa amœnitas Paradiſi ſolo manſit. Ex quo enim ornamentis ſuis omnibus, ſive naturâ ipsâ degenerante, ſive diluvio ſusdeque omnia miſcente, reliquis veluti acceſſit, quid locum ſervare tantâ cautione opus erat? Illis tamen, qui Paradiſum in Orbe Lunæ, vel alibi extra Mundum eſſe ſomniarunt, aliam hypotheſim confingere licebit.

Mundi corruptio. V. Ex his, quæ hactenus narrata ſunt, certam ſcimus cauſam & originem malorum, quibus Mundus univerſus tenetur. Incommoda vitæ, moriendi neceſſitas, corruptio, ignorantia, effrænis paſſionum licentia, prava in deterius habitudo, cæteraque omnia, quibus agitatur, premiturque humana natura, invidiæ Diaboli, Evæ ſeductioni, Adami inobedientiæ accepta referuntur. Dogma quoque ſanctum eſt, commiſſum ab Adamo crimen ad omnes illius poſteros virus & corruptionem transmiſiſſe, eoque nos ab utero infectos, filios naſci iræ, perpetuæque damnationi addictos; cui malo nonni-

ſi ex

(a) *Plin. l. 11. Hiſtor. c. 106.* (b) *Geneſ. III. 24.*

ſi ex Chriſti ſanguine remedium quæratur (*d*). Pelagiani contendebant, primum hominum animæ tantùm mortem incurriſſe, ejuſque peccatum illi uni nocuiſſe, niſi fortè reputaretur, pravo ejus exemplo factum eſſe, ut poſteri in crimina faciliùs proruerent. Rabbini pariter communem hanc labem, quam peccatum Originale vocamus, negant ferè omnes, neque Adami crimine aliud in Mundum inductum credunt, quàm per omnes homines vagantem mortem. Verùm hæc falſa omninò ſunt, rectæque Catholicorum Fidei ex Diametro oppoſita.

VI. Illud potiùs in diſputationem vocaretur, an ſcilicet Adami ejuſque poſteritatis ſtatus & fortuna adeò ab ipſius fidelitate penderet, ut commiſſum ab Evâ peccatum, Adamo non peccante, nihil rebus humanis officeret? Ut tamen in partem affirmantem feramur, Scripturarum & Patrum authoritas nos cogit (*b*). Patet enim enim ex illis, Adamum in ſe uno naturam humanam univerſam retuliſſe, atque mortalium omnium nomine egiſſe. Genus quoddam fœderis mutuis conditionibus propoſitis firmatum erat Deum inter & Adamum; fidem ſuam obligante Deo, Adamo ejuſque poſteris felicitatem ſe aſſerturum, ſi quidem in obſequio ille maneret. Ejus pacti communionem participavit quidem Eva, gradu tamen longè inferiori, cum eſſet Ada-

Quid ſi Eva tantùm peccaſſet?

(d) *Job. XIV.* 4. *Pſ. L.* 7. *Rom. V.* 6. & 12. *Epheſ. II.* 13.

(a) *Rom. V.* 6. *Aug. l.* 16. *de Civit. c.* 27. *Beda in Lucæ II.*

Adamo ſubjecta, illique loco adjutorii data (*a*). Quare ſi Eva tantùm peccaſſet, Adamo in fide perſeverante, fœdus abrumpere non valuiſſet, nihilque ex illâ diſcriminis adverſus humani generis caput & principem, ejuſque poſteros inductum fuiſſet, crimenque nulli niſi ſonti nocuiſſet.

Aliena de Serpente, ejuſque diſcurſu interpretationes. VII. Cajetanus in eo Serpentis cum muliere colloquio nil niſi allegoricum agnoſcit, ratus, Moyſem ſub verborum involucris ſignificaſſe, quid intùs & in corde fæminæ egerit Dæmon. S. Cyrillus Alexandrinus (*b*) autumavit, ſpeciem dumtaxat, & ſimulacrum Serpentis Evæ à Diabolo exhibitum fuiſſe; non verè Serpentis corpus ad tentationem aſſumptum. At pœna à Deo in verum Serpentem inflicta, nec adumbratum Serpentem, nec Diabolum tantùm, operâ ſcilicet Serpentis deſtitutum, fuiſſe illum, qui Evam tentavit, invictiſſimè probat. Qua etiam ratione confutatur Philonis opinio, qui Serpentis nomine intelligit carnis voluptatem, cujus pellectu primi parentes induci ſe permiſerint in actus, qui cum ratione minùs convenirent (*c*); cui proximi accedunt, qui fructum arboris Scientiæ boni & mali, de connubii uſu interpretantur, quo Deus primos homines interdixerit, donec ipſe juberet (*d*). Abarbanel inter Rabbinos

(a) *Geneſ. II. 18.*

(b) *Cyrill. Alexandr. l. 3. contra Julian.*

(c) *Philo de Opificio Mundi, & de Agricultura.*

(d) *Vide Moſem Barcepham, lib. de Paradiſo.*

nos clariſſimus, ſerpentem repetitis vicibus arborem ſcientiæ aſcendiſſe tradit, atque degustaſſe de vetito ejus fructu, nihilque ſe ſe ex illo paſtu referre incommodi oſtendiſſe, quo viſo mulier ad imitandum illius exemplum reddita ſit audacior. Hiſce ſubmovetur quidem grandis illa difficultas, quam diſcurſus à ſerpente cum muliere mixtus ingerit; ne tamen illa adoptemus, facit apertus minimèque ambiguus Scripturarum ſenſus, & conſtans Antiquorum traditio, quibus illa adverſantur.

Quomodo ſerpes Evam alloquutus fuerit? An mulier erraverit.

VIII. Qui putant, inditam fuiſſe ab exordio ſerpenti loquendi facultatem (*a*), nullo negocio intelligunt, quomodo Diabolus per illum Evæ conſilium deguſtandi vetitum fructum inſinuaverit. Verùm illi, quibus hæc non perſuadentur, non ſatis adinvicem conveniunt; alii enim contendunt, Dæmonem ſerpentis linguam ſcitè commoviſſe, ut articulatos verborum ſonos proferret; alii verò defendunt, Dæmonem fucum oculis Evæ feciſſe, formatis ſive in aëre, ſive in auribus ejuſdem fœminæ verbis, quæ illa ad ſerpentem coram poſitum referebat. Quamcunque autem ex iſtis opinionibus prætuleris, vix illam cum inditâ nobis ideâ ſapientiæ, & perſpicuitatis primorum parentum conciliabis. Aut enim errabat Eva circa ſerpentis naturam & prærogativas, aut illis benè cognitis explora-

(a) *Joſeph. l.* 1. *Antiq. c.* 1. *Quidam apud Philonem, Baſil. Ephrem, &c.*

tiſque minùs cauta Dæmonem, qui ſupremo Numini dolum, invidiam, mendacium appingebat, auſcultavit. Qui non omnem errorem, ſicut nec omne peccatum ſaltem veniale, à feliciſſimo Innocentiæ ſtatu, in quo Adam & Eva conditi ſunt, removendum cenſent, cenſent ſimul, Evam putaſſe, loquendi facultate ſerpentem viguiſſe, quamvis hoc à veritate alienum penitùs fuiſſet (*a*). Alii autem, quibus oppoſita arrident, malunt, mulierem putaſſe, ſerpentem verba facere, non ex propriâ, ſed ex ſuperioris ſpritûs, cujus naturam non aſſequeretur, virtute & poteſtate; in quo ignorantiam quidem, ſed non errorem invenias (*b*). Seductio autem, addunt, præceſſit ſanè peccatum operis, fructûs ſcilicet commeſtionem; non verò peccatum mentis, propriæ nempe excellentiæ admirationem, ſui ipſius amorem, diſpoticæ poteſtatis deſiderium, teporem in Deum, cui debitum amorem ad ſe nimium detraxerat, quamdam etiam indignationem, quòd nolens volens juſſionibus Divinis parere cogeretur. Addi poteſt, Evam, dum à ſerpente tentaretur, ejuſque magnificis promiſſionibus raperetur, illis non abſimilem fuiſſe, qui errant interdum in eo quod maximè norunt, ex defectu cujuſdam adver-

(a) *Magiſt. Sentent. 2. diſ. 21. Toſtat. in Geneſ.*

(b) *Aug. de Geneſ. ad lit. l. 2. c. 30. de lib. arbitr. l. 3. c. 24. & alibi. S. Thom. 1. p. q. 94. a. 4. S. Bonav. in 2. diſt. 21.*

vertentiæ; quem quidem defectum in fœminâ illâ Deus permiſerit in pœnam ſuperbientis animi, ſibique nimis blandientis, quo à Deo deſciſcere & ab innocentiæ ſtatu dimoveri jam cœperat (*a*).

IX. Inſitum in hominem obſequium, atque ad nutum ejus & vocem ſubmiſſionem Deus ab initio brutis indiderat (*b*), quantùm tamen genus illud rationis incapax patiebatur; è quo dominio, crimine admiſſo, ita excidit homo, ut veteris juris nonniſi leves quædam maneant reliquiæ; quippe qui arte tantùm & vi bruta continere poſſit in aliquâ obſequii ſpecie, & infrænare, ne noceant. Sed unde virus animantium, belluarum in homines ferocia, noxia quarumdam plantarum qualitas, toxicum herbarum, roſarum ſpinæ? Plures ſanè hæc ex immutatâ poſt Adami lapſum ipſorum naturâ repetenda cenſuerunt (*c*). Aliis autem viſum, ita res ſe ſe habuiſſe à principio (*d*), quorum opinio his fulciretur. Unum idemque alimentum noxium eſt interdum & inſipidum ægroto, quod incolumem delectabat maximè juvabatque. Plura ſuppetunt latentibus uſibus opportuna, quæ ex purâ putâque ignorantiâ in noxiorum cenſum rejicimus. Quæ igitur modò nocent, facilè olim *Unde in rebus nocendi vis?*

F 2 nulli

(a) *Calmet in Geneſ. III.* 2.

(b) *Geneſ. I.* 26.

(c) *Baſil. hom.* 5. *in Hexaëm. Ambroſ. l.* 3. *in Hexaëm.*

(d) *Theodoret. qu.* 18. *in Geneſ. Aug. l.* 3. *de Geneſ. ad lit. c.* 18.

nulli fuiſſent nocumento; ſive quòd corporis temperaturâ homo fuiſſet optimâ; ſive quòd de rerum ſingularum dotibus inſtructus, à quibus fuiſſet ſibi maximè abſtinendum, probè noſſet, vel probè calleret, quo maximè antidoto virus retunderetur, quâve arte & induſtriâ noxia quæque declinarentur. Tota fuit in homine mutatio. Deus naturam non vitiat, nec quæ bona ſunt, convertit in prava, neque pulchrum fœditate corrumpit. Nil novi in corpore ſerpentis accidiſſe poſt prolatam in illum à Deo ſententiam, perſuaderetur; ſed ſemper reptaſſe bruta illa, terræque radicibus & herbis victitaſſe; ac tandem quod priùs ad naturam illius ſpectabat, id poſtea in pœnam converſum fuiſſe: quemadmodum Iris quæ ante diluvium Solis & pluviæ naturalis effectus, ex Divinâ inſtitutione modò eſt ſignum de diluvio non ampliùs inducendo ſuper terram. Gemina de aliis rebus haud perperam philoſopharemus.

Tempus, quo in Paradiſo Adam ſubſtitit.

X. Quoto tempore Adamus in Paradiſo ſubſtiterit, inter incerta incertiſſimum. Ponit Uſſerius, decimâ poſt creationem die introductum illum in Paradiſum, & eâdem pariter die depulſum. Conveniunt ferè Rabbini, docentes, Expiationis Feſtum idcircò die 10. menſis Tisri, Septembris lunationi reſpondentis, celebrari, quòd Adam die 9. ejuſdem menſis, cui illigatur Anni Civilis exordium, ejectus ſit è Paradiſo. Nihil in hac ſententiâ repugnans, ſi quidem ſtatuamus, cenſum Animalium extra Paradi-

diſum habitum fuiſſe, ſicut & extra hunc locum creatam mulierem (*a*). Nam quod attinet ad illud Evæ: *De fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo, veſcimur* (*b*); nunquam verba illa plurium dierum habitudinem exigunt; ſed tantùm ſignificare poſſunt, datam à Deo in fructus omnes, uno tantùm excepto, facultatem.

Primorum Parentum Filii, Cain & Abel. Eorum geſta. Caini poſteritas. Lamechi Polygamia & Homicidium.

CAP. V.

Anno Mundi 2. Ante Christum. 3999. *Cain & Abel naſcuntur.*

I. Eva primum, quem Adamo peperit, filium appellavit Cain, dicens: *Poſſedi hominem per Deum* (*c*); reſpexit enim ad Hebræum *Canah*, quod poſſidere ſignificat; veluti ſi teſtatum omnibus voluiſſet, receptum à Deo munus, illi viciſſim referendum. Jonathan, Uzielis filius, textum reddit: *Genui hominem, qui eſt Angelus Dei*, quaſi Eva in filio ſuo Meſſiam, ſive Mundi Reparatorem, ſub Angeli nomine ab Judæis agnitum (*d*), ſibi viſa ſit peperiſſe. Alterum deinde genuit filium, cui Abel, *Vanitas* ſcilicet, vel *Luctus*, nomen indidit. Eva ſedulò geſta à Cain omnia obſervans, intellexit tandem, alium ſibi ſperandum eſſe Libera-

 to-

(a) *Geneſ. II.* 15. & *III.* 23.
(b) *Geneſ. III.* 2.
(c) *Geneſ. IV.* 1.
(d) *Iſai. LXIII.* 1. *Malach. III.* 1.

torem ; quare inania ſperaſſe, indito alteri filio nomine, id exprimente, teſtata eſt : vel potiùs inſinuare voluit, hunc filium viciſſitudini atque vanitati rerum hujus Mundi, quas tales eſſe experimento in dies noverat, obnoxium naſci. Cain vertente anno ab exitu Adami è Paradiſo, Abel verò altero anno nati creduntur ; quamvis eâ de re, ſilente Moyſe, nil certi poſſit definiri. Volunt nonnulli, Cain & Abel gemellos eſſe ; quorum (a) tamen ſententia Moſaicæ narrationi repugnare videtur. Quibuſdam etiam viſum, Evam geminatos ſemper fœtus, maris ſcilicet & fœminæ, edidiſſe. Caini gemellam, *Calmanam* alii, alii *Azuram* vocant. Abelis gemella varia & ipſa apud varios ſortita eſt nomina, *Auvinam*, *Delboram*, *Declam*, *Edoclam*. Sunt qui tradant, primos parentes, plurium annorum ſpatium in lacrymis & dolore de commiſſo crimine egiſſe, nihil de procreandis filiis cogitantes (b). Eſt tandem quorumdam opinio, Abelem quindecim ab ortu Caini, aut triginta annos in lucem prodiiſſe. Omnia incerta. Illud autem certum eſt, Adamum ſcilicet plures alios ex Eva ſuſcepiſſe filios & filias, inter quos connubia, ita ferente illius temporis neceſſitate, celebrarentur. Moyſes verò de illorum nominibus & geſtis ne verbum quidem ; ſatiſque habuit breviſſimam intexere genealogiam filiorum,

quos

(a) *Joſeph l.* 1. *Antiq.* c. 1. *Hebræi paſſim. Calvinus.*

(b) *Author Hiſtor. Eccl.*

quos judicavit neceſſarios, ut hiſtoriam ad Noë & Abrahamum, Meſſiæ progenitores, deduceret (*a*).

II. Cain cum adoleviſſet, agriculturæ, Abel verò paſcendis gregibus operam dedit. Cum autem perſuaſi eſſent ambo, ſive ratione dictante, ſive Deo revelante, ſive Adamo docente, oblatis muneribus colendum ſupremum Numen, placandumque; uterque quidquid è labore ſuo ſibi provenerat, partem in ſacrificium obtulit. Fructus terræ obtuliſſe Cain, uti triticum, poma, mel, uvam, certum exploratumque eſt. De Abelis ſacrificio ambigitur. Vulgata habet, ipſum obtuliſſe *de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum* (*b*); quibus ſacrificium Abelis animantibus immolatis perfectum fuiſſe, luculentiſſimè perhibetur. Addunt Thalmudiſtæ, mera tantùm holocauſta obtuliſſe Abelem, nihil ſacrificii ab igne ſibi reſervantem; neque enim, ajunt, hoſtiæ quidquam illi permittebatur in cibum. Verùm Grotius, ſacrificia cruenta nequaquam oblata credit, ſed tantùm è lanis & lacte, ſive butyro gregum primitias; quare textum reddit: *De primitiis gregis ſui & de lacte*. Hæc quidem priſcorum ſimplicitatem redolere fateor; ſed tanti facienda non eſt Grotii authoritas ſolis conjecturis ſuffulta, ut Vulgatæ authoritati præferatur: Pronum autem eſt, ut reputemur, Deum cruentum ſacrificium homines ab exordio docuiſſe, ut illis de morte *Caini & Abelis ſtudia & ſacrificia.*

(a) *Geneſ. V.* 4. (b) *Geneſ. IV.* 4.

Meſſiæ, quâ Mundus expiandus erat, quâque veterum ſacrificia valebant, vividior Fides inderetur.

Sacrificium Abelis Deus acceptat, minime verò Caini.

III. Oblata ab Abele munera ſibi grata eſſe, non item a Caino, Deus ſignificavit. Diſcriminis cauſam ſilet Scriptura; nec niſi futilem aſſignant, qui ex ipsâ munerum naturâ, & pretio repetunt. Ut enim munus aliquod Deo probetur, nihil profectò confert oblatæ rei qualitas, & natura, ſed pietas offerentis. Spectabat igitur Deus in Abele vividam probatamque fidem; livorem verò, invidiam, languentem fidem, & torpentem Charitatem in Cain (*a*). Septuaginta tenuerunt, reprobatum a Domino Cain, quòd malè oblationem divideret, vilem portionem Deo ſeparans, ſibi verò optimam. Affirmant, vetuſtis moribus obtinuiſſe, non ſubjicere ignem ſacrificio, ſed deducere è Cœlo precibus (*b*); quo potiſſimùm indicio tenent ex Patribus plerique, demonſtraſſe Deum favere Se oblationibus Abelis. Appoſitas enim, inquiunt, depluens è Cœlo ignis abſumpſit; eas verò, quæ erant Caini, reliquit intactas (*c*). Potuit tamen & aliter Deus fratri Abelem preferre; ſive orantem eum blandis verbis, audiente Caino, compellans; ſive donorum largam retri-

(a) *Hebr.XI.4.*

(b) *Servius in Æneid. l. 12. Vide & Solin. & Polybiſ.c.2.*

(c) *Cyrill. l. 2. in Geneſ. Hieron. qq. Hebr. Ephrem ſer. 1. de Sacerdotio. Chryſoſt. in Epiſt. ad Hebr. c. 12.*

retributionem in illum conferens. Prærogativam fratris, quæcumque illa fuerit, adeò ægrè tulit Cain, ut livoris in illum notas in ipſo vultu exhiberet non dubias. Quare Deus ad illum: Cur, ait, ſubtriſtis es? Si benè egeris, invidiamque in fratrem tuum omnem depuleris, nonne recipies præmium? Sin verò malè, nec pravas cordis habitudines correxeris, te pro crimine ſupplicium manere, ſcias. Juſtitia ſemper in promptu eſt, & ex æquo reſpondet: *Sub te, adjecit, erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Quorum verborum ſenſum ita ferè omnes interpretantur. Subeat in mentem, integrum tibi eſſe, ut iræ quantumvis inſiſtenti, & ad malum urgenti concupiſcentiæ, reſiſtas. Vel: Præſto erit ſemper, ut impetum in te faciat peccatum; pravas tamen illius impreſſiones ita ſenties, ut admittere, vel rejicere illas in tuâ ſit poteſtate. Verba tamen illa hunc etiam ſenſum paterentur: Quamquam in munerum acceptione Abelem tibi præferre me ſignificarim, nunquam tamen te prærogativâ majoris natu multabo; fidemque meam obſtringo, futurum, ut Abel tibi, quamvis criminoſo, ſubditus ſit, tuque illi jure primogeniti imperandi poteſtatem retineas (*a*).

IV. His tamen æſtu livoris, quo Cain fervebat, minimè extincto, fratrem obtentu pacis, & amicitiæ in agrum adductum occidit. Malunt

Anno Mundi ante Chriſti 3871.

Abel occiditur.

(a) *Chryſoſt. hom. 18. in Geneſ.*

ſunt aliqui (*a*), Cain fratrem ſuum verbis duris, & ingratis compellaſſe; quibus paria regerere coactum,occaſionem ſumeret occidendi. Abele extincto, ejuſque corpore terræ mandato, Dominus ad Cain: Ubi eſt, ait, Abel frater tuus? Cui ille, ſe ignorare, neque illius eſſe cuſtodem, ſatis illiberaliter reſpondit. Tum Dominus: Quid egiſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Super terram igitur, quæ hiſcens fraternum exhauſit cruorem, miſerrimus vives; culta abs te illa laboribus tuis minùs reſpondebit, quàm antea ſoleret; vagus profuguſque Orbem pererrabis. His auditis, cætera crimina augens deſperatione, peccatum ſuum quâlibet veniâ majus teſtatus, ſe a quocunque, in quem incidiſſet, interficiendum dixit. Fratricidæ partes utcumque aſſumens Deus, miſerum ab ultoribus ſanguinis Abelis poſuit in tuto, pœnam ſeptuplo majorem exacturum ſe de interfectoribus illius minitatus; ſimulque illum ſigno quodam diſtinxit, ne a quopiam occideretur. Patrum plerique tenent, inditum viro toto corpore tremorem, tetrum quemdam aſpectum, ferocitatem, criminoſæ ſcilicet conſcientiæ indicium (*b*). Alii literâ quâdam ſive nominis ſui, ſive Dei, ſive Abelis compunctum in facie cenſent. Sunt etiam, qui reputent, Deum, ut animis deſpondentem Cain confirma-

ret,

(a) *Vatab. Fag.*

(b) *Chryſoſt. hic, Theodoret. q.42. in Geneſ. Aug. contra Fauſtum l.12. c.12. Hieron. Epiſt. ad Damaſ.*

ret, prodigium coram exhibuiſſe, eo argumento Caino demonſtrantem, neminem in ipſum manus injecturum (*a*). Confirmatus a Deo Cain ex avitâ regione ſe abducens, locumque Divinæ Majeſtatis præſentiâ & affatibus Verendum deſerens, receſſit in terram Nod ad orientem Eden. Quæ fuerit hæc regio Nod, niſi fortè dicatur fuiſſe Nyſe, vel Nyſea, Hyrcaniam versùs, ignoratur. Ibi Cain ex uxore ſuâ Henoch filium ſuſcepit, urbemque filii cognomine condidit.

V. Nonnulla tradunt Scriptores de Abele & Caino in ſacris Libris fruſtra quærenda. Abelem perpetuò Virginem manſiſſe, a quibuſdam negatur (*b*), ab aliis aſſeritur (*c*). Malunt quidam, ipſum uxorem habuiſſe, ſed ſterilem, cum ipſius poſterorum mentio non fiat. Qui vocem ſanguinis, è terrâ ad Deum clamantis, de illius uxoris viduæ, & orphanæ familiæ querelis interpretantur, utique virginem obiiſſe, negant. Sed hac interpretatione omiſſâ, arduum eſt, Abelem cælibem egiſſe vitam, ad 130. circiter annos prorogatam, quo tempore arctiſſimum erat multiplicandi genus humanum præceptum. *Abel fuerit-ne Virgo?*

VI. Saida Patriarcha Alexandrinus; 700. circiter ab hinc annis in vivis agens, refert, lividis *Cur Cain Abelem necavit?*

(a) *Abenezra, Vatablus, Pheifferius, aliique....*

(b) *Salian. Annal. tom.* 1.

(c) *Baſil. Ambroſ.*, *aliique apud Cornelium a Lapide*.

vidis oculis Cain fratrem ſuum aſpexiſſe, quòd deperiret ſororem ſuam gemellam, quam Adam Abeli uxorem deſtinaverat. Ducere ſibi volebat Caïn, quòd elegantior eſſet puella præ gemellâ Abelis, ſibi a patre præparatâ. Antequam connubia ſancirentur, juſſit Adam geminos fratres conſcenſo monte offerre Deo ſacrificia. Aſcendentibus ſimul montem, Cain fratrem ſuum, quò ſibi ſponſam illius adſciſceret, occidere decrevit. Cujus proinde rei causâ ejus oblationem nequaquam probavit Deus, cum viciſſim gratis oculis Abelis munus aſpiceret. Sed hujus hiſtoriæ, traditioni quamvis Judæorum, & Orientalium ſubnixæ: fides eſt ſubleſta (*a*). Targum Jeroſolymitanum, loquentem induxit Cain blaſphema plura verba; quæ cum non ſine orrore auſcultaret Abel, factum inde, ut altercatio inter fratres oriretur; quâ occaſione captâ, odium ex Abelis ſacrificantis prærogativa conceptum totum effuderit, illum interficiens. Sed quo inſtrumento? De hoc quoque eſt diſſenſio inter Scriptores. Alii enim Cain aſini mandibulâ, alii falce, alii ſarculo, alii enſe, alii ſaxo, alii ligno ſive furcâ inſtruunt. Sed falcem, ſarculum, enſem tunc fuiſſe, quis credat?

Reliqua Caini flagitia. VII. Narrat Joſephus (*b*). Cain poſt fixas in Naid ſedes, & urbem, tantùm abfuiſſe, ut exilio & criminis illâ pœna corrigeretur, quin potiùs

(a) *Selden. de Jure Natur. & Gent. l. 3. c. 2.*

(b) *Joſeph. l. 1. Antiq. c. 3.*

potiùs fræna magis magiſque laxavit, adſcitâque ſibi latronum turbâ homines docuerit divitias injuriis comparare. Veterem illam ſimplicitatem corrumpens, dolum invenit & fraudem in commercio, pondera conſtituens & menſuras. Ipſo authore, limites agris dati, urbs nedum condita, ſed & munita. Profectò hæc nequaquam illorum opinionem fulciunt, qui Cainum pœnitentiam egiſſe, contra ac fert communiter opinio, oſtendere ſuſceperunt (*a*). Sunt, qui ſcribant, illum a domo ſubitò corruente oppreſſum; alii verò a Lamech; alii tandem a ſe ipſo occiſum ferunt.

VIII. Cainitæ, Hæreticorum genus ſunt, qui ſecundo Eccleſiæ ſæculo, Cainum Abeli prævaluiſſe, quod ille matrem habuiſſet Virtutem quamdam potiorem, & dignitate majorem Abelis matre fabulabantur. Eodem ſpiritu eos omnes, qui in Scripturâ peſſimi deſcribuntur, magnis honoribus colebant, uti inter cæteros Sodomitas, Core, Dathan, & Abiron; nec Judam proditorem omittebant, a quo Chriſtum hoſtibus traditum dicebant, nequicquam obſtantibus Virtutibus quibuſdam, mortalium felicitati invidentibus; ideò autem Chriſtum interficere voluiſſe, quòd morte ipſius ſalutem hominibus comparandam noſſet (*b*). *Qui Cain coluerint.*

IX. He-

(a) *Vaickra Rabba*, *& Jalxut. ſect.* 13. *Job. Chriſt. Cerlob.* Cainus non deſperans.

(b) *Tertull. de Præſcript. c.* 47. *Epiphan. hær.* 38.

Caini poſteritas. Lamechi polygamia. IX. Henoch, Caini filius, genuit Irad, Maviaël, Maviaël, Mathuſaël, Mathuſaël Lamech. Porrò Lamech novo exemplo, conſecutiones ad excidium gentis Judaicæ uſque habituro, duas ſimul uxores habuit, quarum alteri Ada, alteri Sella nomen. Ex Adâ ſuſcepit Jabel, & Jubal; Ille author fuit eorum, qui in tentoriis extra urbes vivunt, & ovium paſtione vitam tolerant. Hic citharæ, organique inventor. Sella pariter præter puellam, cui nomen Noëma, procreavit Lamecho Thubalcain, qui ducendi atque ad uſtrinam elaborandi ferri, ſimulque opera ænea conflandi artem invênit. Tenent plures, Noëmam invexiſſe rationem nendi ad colum lanam, atque telam conficiendi; confundendam autem cenſent cum Minervâ, *Nemaonum* appellatâ (a).

Lamech ne homicida? X. Lamech quondam uxores ſuas alloquens: *Audite*, ait, *vocem meam, uxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum: Septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech verò ſeptuagies ſepties* (b). Quid cauſæ eſſet, ut Lamech verba illa faceret, ſilente Moyſe, non intelligitur. Referunt ex Hebraicæ traditionis fide, Lamechum, cum ſe ſe totum venationi addixiſſet, & oculis ſenectutis vitio caligaſſet, viæ ducem adoleſcentulum habuiſſe, quem Judæi Tubalcain filium ipſius credunt. Cum adoleſcentulus ille neſcio quid murmuris in ſaltu

(a) *Plutar. l. de Iſide, & Oſiride.*

(b) *Geneſ. IV. 23.*

tu auſcultaſſet, ratus gradientis belluæ ſonum, locum indicavit Lamecho, qui ſtatim, rem ultra non diſcutiens, telum emiſit, quo Cain fortè ibi verſans impetitus interiit. Actutum Lamech, agnito errore, iratus puerum occidit. Referens ſe deinde domum, omnia retulit ad uxores, narrans, ſperare ſe, Deum, qui interfectorum Caini ſeptuplum ſe puniturum edixerat, ſperare, inquam, Deum ex ſui ipſius interfectore, ſi fortè quis tantùm auderet, ſeptuagies ſepties pœnas ſumpturum; Cain enim prudens volenſque crimen perpetraverat; illi verò imprudenti necati Caini culpa irrepſerat. Fabellæ hujus nemo ante Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ authorem meminit. Hebræorum traditio, quam duce S. Hieronymo plures ſequuntur, fert, Lamechum, occiſo Caino, quid in ſe ultionis divinitùs provocaſſet, declaraſſe uxoribus ſuis, aſſerentem, futurum ut, ſi pœnas exegit ſepties de Caini parricidio, ſeptuagies ſepties, graviores ſcilicet de homicidio à ſe commiſſo exigeret (*a*). Aſſerit Suidas, Lamechum duos quidem viros occidiſſe, alios tamen à Caino, & Tubalcaino; ſed potiùs geminos fratres Henoch, viri extra Mundum tranſlati (*b*). Hi omnes Lamechum reum homicidii agunt; quod quidem Scriptura ultrò inſinuare videtur; nihil tamen definiens, ſive de venationis, ſive de Caini, ſive

(a) *Hieron. Epiſt. ad Damaſ. Raban. Strab. Anſelmus, Lyran. Toſtat. Cajet. Delrio, Perer.*

(b) *Suidas v. Lamech.*

ſive de Henochi fratrum circumſtantiis. Quin ad Cainum quod ſpectat, occiſum illum negant, vel ſaltem non aſſerunt Philo, Joſephus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Catharinus, Oleaſter, Burgenſis, & Hebræorum plures (a). Volunt igitur quidam, Lamechum nullam reapſe homicidii contraxiſſe culpam, ſed creatâ in ſe apud homines univerſos ob polygamiam invidiâ, uxores ſuas, ut nihil propterea timerent, ſibique jugiter adhærerent, confirmaturum, obtendiſſe: *Occidi virum in vulnus meum?* Quodnam atrox commiſi crimen? Si Cain, fratris ſui ſceleſtus interfector, adhuc vivere permiſſus eſt; ſi ejuſdem Caini homicida ſeptuplo graviorem ultionem in ſe provocaret; quid illi expectandum eſſet, qui manus in me iniiceret, multò minoris criminis reum. Profectò Onkelos, Chaldaicæ Paraphraſis celeberrimus author, textum reddidit: *Non occidi virum, ut propter eum portem peccatum*. Arabs autem, & Rabbinorum quidam addunt interrogationem: *Numquid ego occidi virum per fractionem capitis?* His, inquiunt Hebræi, deſpondentes animis uxores ſuas Lamech confirmare volebat; metuebant enim illæ, ne ultioni Divinæ ipſæ pariter ſubderentur, quòd Lamech arma conflandi uſum invexiſſet, docuiſſetque Tubalcain filium ſuum. Joſephus tandem narrat, Lamechum divinas res maximè callentem, reputaſſe, ultionem Divinam in ſuum caput exerendam fuiſſe in pœnam cri-

(a) *Calmetus in Geneſ. IV. 26.*

criminis à Caino avo ſuo perpatrato. In eâ verò perſuaſione fuiſſe author iſte, ſicut & alii plures, videtur, ultionem ſcilicet ſanguinis Abelis lapſuram in ſeptimam ab Adamo generationem. Adam, Cain, Henoch, Jared, Maviaël, Mathuſaël, Lamech; eòque reſpicere cenſent illud: *Septuplum ultio dabitur de Cain*. Addit Joſephus, ultionem *ſeptuagies ſepties*, in Lamechi interfectorem denunciatam, exprimere 77, liberos, ex Adâ & Sellâ natos. Unde hæc acceperit, planè ignoratur.

Sethi ortus. Patriarcharum ante diluvianorum genealogia. Hebræus, Samaritanus, Græca Septuaginta Verſio, & Joſephus in annorum ſupputatione non conveniunt. Patriarcharum anni duodecim menſibus conſtabant. Unde primorum hominum diuturnitas.

CAP. VI.

I. Adamo & Evæ de Abelis morte contriſtatis alium filium Deus largitus eſt, quem mater Seth, hoc eſt *Poſuit*, ſive *Poſitus*, appellavit; ait namque: *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain* (a). Neglectâ autem generis Caini genealogiâ, Moyſes ad digerendos ſe confert poſteros Adam è Seth, quòd ille fons ſit & origo Hebræorum (b). Anno Mundi 130. Ante Christum 3870. *Seth naſcitur.*

Tom.I. G II. Ma-

(a) *Geneſ.IV.* 25. (b) *Geneſ.V.*

Anni Patriarcharũ Antediluvianorum. II. Magnum eſt in numero annorum Patriarchalium inter Hebræum & Septuaginta diſcrimen; quod ut faciliùs comprehendatur, ſimulque unico intuitu videatur, quo anno & tempore Patriarchæ juxta varias illas ſupputationes orti ſunt, liberos ſuſceperunt, ac fatis ceſſerunt, duplicem tabellam expandere viſum eſt:

Pa-

Patriarcharum nomina.	Anno vitæ, quo genuerunt.	Vixerunt deinde annos.	Anni totius vitæ.	Orti ſunt anno Mundi.	Deceſſerunt anno Mundi.
TABELLA PRIMA JUXTA HEBRÆUM.					
I. Adam	130.	800.	930.	1.	930.
II. Seth	105.	807.	912.	130.	1042.
III. Enos	90.	815.	905.	235.	1140.
IV. Cainan	70.	840.	910.	325.	1235.
V. Malaleel	65.	830.	895.	395.	1290.
VI. Jared	162	800.	962.	460.	1422.
VII. Henoch	65.	300.	365.	622.	987.
VIII. Mathuſala	187.	788.	969.	687.	1656.
IX. Lamech	182.	595.	777.	874.	1651.
X. Noë	500.	450.	950.	1056.	2006.
ALTERA TABELLA JUXTA SEPTUAGINTA.					
I. Adam	230.	700.	930.	1.	930.
II. Seth	205.	707.	912.	230.	1142.
III. Enos	190.	715.	905.	435.	1340.
IV. Cainan	170.	740.	910.	625.	1535.
V. Malaleel	165.	730.	895.	795.	1650.
VI. Jared	162.	800.	962.	960.	1922.
VII. Henoch	165.	200.	365.	1122.	1487.
VIII. Mathuſala	187. vel 167.	782. vel 802.	969.	1287.	2256.
IX. Lamech	188.	565. vel 545.	753. vel 733.	1474. vel 1454.	2227. vel 2207.
X. Noë	500.	450.	960.	1662. vel 1642.	2612. vel 2592.

Annus diluvii. III. Deum univerſam Terram aquis operuiſſe anno ab ortu Noë 600., Moyſes teſtatur (*a*). Cum autem Noë natus ſit anno Mundi 1056. juxta Hebræum, rectâ conſecutione habemus, à Mundi creatione uſque ad diluvium annos effluxiſſe 1656. ſed juxta Septuaginta contigit diluvium anno 2262., vel 2242.; nam ex illorum computu ortus Noë incidit in annum 1662., vel 1642., quibus ſi addantur anni 600. vitæ Noë, ſumma 2262., vel 2642. habetur. Porrò varietas illa 20. annorum invecta eſt à diverſitate Exemplarium Verſionis Septuaginta; quorum alia præferunt, Mathuſalam genuiſſe Lamech, cum attigiſſet annum 167., alia verò cum eſſet annorum 187. (*b*). Priora legebat Euſebius, poſteriora Julius Africanus.

Quo anno Mathuſala genuerit. IV. Exemplaria, quæ habent, Mathuſalam annos natum 167. genuiſſe Lamech, ſi ſibi conſtarent, fieret inde, ut diluvium 14. annis ipſius Mathuſalæ obitum præceſſiſſet. Si enim Lamech natus ſit anno 167. Mathuſalæ, quando Lamech annos natus 188. genuit Noë, Mathuſala ingreſſus erat annum 355. His addendi ſunt anni 600. Noë. Summa conficiet annorum 955. Quibus deſunt anni 14., ut annorum numerus 969., quibus vixit Mathuſala compleatur. Mathuſalam autem vitam poſt diluvium prorogaſſe, aſſeri non poteſt, quin ſimul aſſeratur, numerum eorum, qui à Diluvio ſalvi fuerunt, octo ex-

(a) *Geneſ. VII. 2.*
(b) *Hieronym. qq. Hebr. Aug. l. 15. de Civit. c. 12. & 13.*

excedere; quod cum Scripturâ apertiſſimè pugnat (*a*).

V. Demptis Mathuſalæ generationi anni viginti, atque ita reformatâ Verſione Septuaginta, adhuc illorum ſupputatio ſuperat Hebræum non minori, quàm 586. annorum ſpatio; id enim diſcriminis eſt inter 1656. & 2242. Porrò hoc diſcrimen longiùs excurrit poſt diluvium; cum Abrahami vocatio, quæ anno illius 75. contigit, juxta Hebræum anno Mundi 2083. conſignetur, juxta verò Septuaginta anno 3510., ut tota diſcrepantia ſit annorum 1427. (*b*). *Quo annorum ſpatio Hebræum vincunt Septuaginta.*

VI. Etſi Septuaginta ſupputatio vetuſtate ſuâ & merito eorum, qui illi faverunt (faverunt autem non tantùm omnes penè Patres, ſed & ipſa Eccleſia, ubi Nativitatem Chriſti in Romano Martyrologio recenſet) venerabilis ſit, pluribuſque momentis à Baronio, Morino, Voſſio, aliiſque doctiſſimis viris aſſerta, majori tamen obſequio cum aliis æquè doctis ſcriptoribus tenemur in illam, quæ juxta Hebræum ornata eſt. Nam illi planè congruit noſtra Vulgata, quæ ex decreto Concilii Tridentini repudiari non poteſt (*c*); congruuntque, unâ dumtaxat Septuaginta Verſione exceptâ, omnes aliæ Verſiones, ac ipſæ etiam Chaldaicæ Paraphraſes. Omnibus præterea in confeſſo eſſe debet, menda faciliùs *Hebræus Septuaginta præferēdus.*

(a) 1. *Pet. III. 20.*
(b) *Vide infra c. 13. num. 1.*
(c) *Concil. Trident. ſeſſ. 4.*

ciliùs in Verſionem, quam in Textum originalem, irrepere poſſe. Patres priorum Eccleſiæ ſæculorum Hebræo verſionem Septuaginta utique præferre ſolebant; non quòd utriuſque cauſæ momenta libraſſent, ſed quòd eorum ætate Hebraici textùs notitia rariſſima eſſet, atque Verſio illa, Orignalis loco apud illos haberetur: Cæterum Hieronymus & Auguſtinus, nemini Patrum, quà eruditione, quà judicio impares, illoſque ſecutus Venerabilis Beda calculum Hebraicum prætulerunt. Eccleſia tandem, ut Vulgatam, quæ Hebræum ſequitur, amplectamur, jubet; ſed id tantùm, ubi ſupputationem Septuaginta exhibet, ſalubri temperamento cavit, ut vetus aliquod venerandæ vetuſtatis monumentum, temetſi lacerum & deforme, & pannis anniſque obſitum proponeret, omnibuſque palam faceret, quam rationem ſecuti fuerint antiqui Patres enumerandis ex Sacrâ Scripturâ annis ab Orbe condito ad Chriſtum natum.

Quibus accedunt Joſephus, & Samaritanus.

VII. Quamvis autem à calculis Hebræi & Septuaginta diſſideat Ioſephus, ac neutris prorsùs congruat Textus Samaritanus, uterque tamen magis Hebræo quàm Septuaginta accedunt. Joſephus enim ponit, ab Adamo creato uſque ad Templi Salomonici ædificationem fluxiſſe annos ter mille centum & duo; à diluvio verò, mille quadringentos & quadraginta (a). Porrò ſi minor hæc ſummâ à majori illâ ſubtrahatur, reſidui erunt ab Adamo uſque ad diluvium anni mille

(a) *Joſeph. l.8. Antiq. c.2.*

mille ſexcenti ſexaginta & duo. Qui calculus longiſſimè recedit ab illo Septuaginta, proximè autem accedit ad Hebraicum; quippe cujus ſummam ſex tantùm annis ſuperat. Fatendum tamen eſt, Joſephum in ſuis calculis minùs eſſe conſtantem, ut oſtendit P. Alexander (*a*). Textus Samaritanus ab Hebræo diſcrepat in adſcribendâ ætate Jared, Mathuſalæ, & Lamechi; priori enim aſſignat 115. annos minùs quàm Hebræus; de alterius ætate demit annos 249., ac tandem de tertii, 124. Juxta illius calculum diluvii annus cum anno Mundi 1307. componendus eſt, qui annus vicinior ſanè eſt anno 1656., cui Hebræus diluvium illigat, quàm anno 2242. eidem diluvio à Septuaginta adſcripto. Hæc de Textu Samaritano, quem modò habemus; nam antiquus, qui Hieronymi extabat ætate, cum Hebræo adamuſſim conveniebat (*b*). Ex quo nova conſurgit ratio pro adſtruendâ Hebræi veritate.

Cur apud Septuaginta anni multiplicantur.

VIII. Septuaginta addunt centum annos cujuſcunque Patriarchæ ætati ante natum ex eorum filiis illum, qui ſolus exprimitur in Scripturâ. Plerumque autem totidem alios demunt de eorumdem Patriarcharum ætate poſt natum eum filium, cujus Scriptura certum annum, quo natus eſt, determinat; ex quo fit, ut in ſummâ totius ætatis ad obitum Patriarchæ ductâ Hebræum inter & Septuaginta conveniat.

G 4 Ada-

(a) *P. Alex. Hiſtor. diſſ. 8. Vet. Teſtam. 1. Ætat.* (b) *Hieron. qq. Hebr.*

Adamus exempli gratiâ juxta utrumque Textum vixit in univerſum annos nongentos & triginta; ſed poſt generationem Seth juxta Hebræum vixit annos octingentos; juxta Septuaginta verò ſolùm ſeptingentos. Quare diverſitas illa non caſui alicui, aut Amanuenſium oſcitantiæ, ſive temporis diuturnitati tribui poteſt. Quid igitur fuit in causâ, ut Patriarcharum anni prorogati ſint? An quod voluerit quiſpiam velificare Ægyptiis, apud quos Verſio Septuaginta adornata eſt, quique antiquiores ſe ſe, quàm Sacrorum Codicum computus patiatur, jactitabant? An quòd alicui ſuccurrerit, ut hac induſtriâ veritatem Scripturæ poneret in tuto adverſus illorum opinionem, qui autumabant, primigenios illos annos noſtris multò breviores fuiſſe, ut uni noſtro & ſingulari decem ex illis reſponderent? Hoc enim ſemel conſtituto, ſi legeretur verbi gratiâ, Cainan genuiſſe Malaleel, cum ætatem ageret 70. annorum, eò ſupputatio redigeretur, ut ſeptem noſtros annos natus liberos habuiſſe diceretur. An, inquam, ut huic incommodo occurreretur, ſcriptum eſt, Cainan filium ſuſcepiſſe, cum eſſet 170. annorum, qui 17. annis noſtris reſponderent, ætati ſcilicet procreandis filiis non impari? Integrum cuicunque eſt, quam maluerit, præferre opinionem; dummodò illud admittatur, hanc ſcilicet corruptionem alicui potiùs Verſionis Septuaginta tranſcriptori, quàm ipſis Septuaginta tribuendam eſſe; ſummâ enim ſide Textum il-

los vertiſſe, teſtatur Ariſtæas, aliique Scriptores.

IX. Duodecim menſibus, aſſignatis in ſingulos triginta diebus, Patriarcharum annos conſtare, ne ambigimus quidem; hac enim temporis menſurâ definitur ille annus, quo contigit diluvium; cui quidem anno diluviano annos antediluvianos impares fuiſſe, nullo argumento demonſtraretur. Narrat igitur Moyſes, die primâ menſis decimi anni 600. vitæ Noë apparuiſſe montium cacumina. Enumeratis deinde 60. vel 61. diebus, quibus per diſcreta temporis intervalla Corvum ſemel, ter verò Columbam emiſit, addit, Patriarcham illum die primâ menſis primi, utique ſequentis anni 601., tectum Arcæ reduxiſſe (*a*). Habemus igitur hìc cùm annum duodecim menſibus conſtantem, tum menſes, quos ſingulos triginta dies implent. Rurſus idem Moyſes tradit, diluvium cœpiſſe die 17. menſis ſecundi (*b*), Arcam verò juſta Hebræum, cui favet Samaritanus, Chaldæus & Syrus, die pariter 17. menſis ſeptimi requieviſſe (*c*), poſtquam aquæ Terram obtinuiſſent 150. diebus (*d*); quibus ſpatium quinque menſium, triginta diebus in ſingulos computatis, luculentiſſimè deſignatur. Hebræis præterea inter Ægyptios enutritis aliam anno-rum

Quinam fuerint Patriarcharū anni?

(a) *Geneſ. VIII.* 13. *Vide infra c.* 9. *hujus lib. num.* 3.

(b) *Geneſ. VII.* 2.

(c) *Geneſ. VIII.* 4.

(d) *Geneſ. VII.* 24. *VIII.* 3.

rum formam, quam Ægyptiacam Moyſes ingerere non poterat. Porrò annum Ægyptiacum duodecim conſtaſſe menſibus, qui triginta diebus complerentur, quinque diebus ultimo inſuper additis, ut integer annus 365. diebus definiretur, certum exploratumque eſt; quamquam Moyſis ætate apud Ægyptios nondum fortè quinque illi dies poſtremo menſi adjecti, ſicut & dies intercalaris ſingulis quadrienniis, obtinuerint; cum ejus rei gloria Thoth, ſive Mercurio, Moyſe juxta nonnullos recentiori tribuatur. Minores annos, bimeſtre, aut quadrimeſtre, vel ſexmeſtre conſtantes nonnulli antiquis Patriarchis tribuerunt, quò à falſitatis calumnia Scripturarum authoritas faciliùs vindicaretur. Verùm immeritò quis, ut veritatem aſſerat, falſitatem amplectitur. Longior autem illa Veterum complurium ætas graviſſimis Hiſtoricis à Joſepho & à Plinio relatis probata eſt & admiſſa (*a*).

Unde vita Patriarcharum diuturnitas.

X. Vitæ Patriarcharum diuturnitatem alii repetunt a temperatâ humorum æconomiâ, alii a ſalubriore plantarum fructuumque ſucco, alii a ſimplici frugique cibo, alii ab aliâ causâ. Sed potiſſima ejus rei ratio ex Dei voluntate, propagando hominum generi tandiù illos ſervante, videtur repetenda. Poſtquam enim Mundus ſatis frequentes habuit habitatores (quod non abs re Davidis & Salomonis ætati tribueretur), nullò ſatis notabili diſcrimine in hominum vitâ variatum

riatum

(a) *Joſeph l.1. Antiq. c.12. Plin. l.7. c.48.*

riatum eſt, conceſſis nimirum ſenectuti ſeptuaginta annis, vel octoginta, ultra quos ſit labor & dolor (*a*).

XI. Arduum maximè eſſet reputare, filios de quibus in Patriarcharum ſucceſſione, ſemper fuiſſe majores natu, Patriarchas verò ipſos cælibem duxiſſe vitam ad illud uſque tempus, quo generaſſe dicuntur. Veroſimilius, quin & certiſſimum ſtatuendum, Moyſem illos tantùm liberos recenſuiſſe, qui ordini chronologico inſervirent, etſi primogeniti non eſſent. Verum eſt, Scripturam trium tantùm filiorum, quos Noë, cum eſſet annorum 500., ſuſcepit, Sem ſcilicet, Cham & Japhet, mentionem facere. Suſpicari tamen poſſumus, eos, quos anteà genuerat, diem clauſiſſe, vel fortè, initis cum filiabus hominum connubiis, earumque pravis moribus adoptatis, diluvio unà ſimul cum cæteris deletos fuiſſe. Sunt, qui velint, illos primorum ſæculorum homines pubertatis annos longè ſerius attigiſſe ex proportione longæviſſimæ ætatis. Sed hæc opinio minùs alterâ probatur. Diſquiritur etiam a nonnullis: utrum anni a Scripturâ aſſignati, ad filiorum conceptionem, an ad nativitatem, ſint referendi. Cui quæſtioni altera ſubnectitur; utrum ſcilicet ineuntes anni illi intelligendi ſint, an completi? Prior difficultas pro nativitate ſolet reſolvi. Alteram verò in partem, quam malueris, deflectere per nos licebit.

Quâ ætate Patriarchæ genuerint.

Te-

(a) *Pſ.* 89.

Patriarcharum antediluvianorum geſta : Adami & Evæ Salus , Sepultura , Libri . De Lilith primâ Adami uxore fabula. Sethi viſiones , & Libri: Columnæ Sethi filiis attributæ. Literarum origo . Enos omnium primus Nomen Domini invocat. Henochi Translatio , & Reditus in Mundi fine . Ejus Prophetia a S. Judâ laudata , & Liber ab Eccleſiâ proſcriptus . Mathuſala ante Diluvium ſublatus . Quid nomen Noë ſignificet .

CAP. VII.

Adami & Evæ ſalus .

I. DE pleriſque Patriarchis Moyſes nonniſi tempus ortûs illorum , generationis , & mortis deſcripſit. De reliquis pauca tum apud illum , tum apud alios invenias . Ut ab Adamo exordiamur , plurimum de illius ſalute in Eccleſia diſceptatum eſt , Tatiano & Encratitis ejus damnationem propugnantibus ; quorum tamen opinio ab Eccleſia damnata eſt . Doctores enim, quî Chriſtiani (a) , quî Hebræi , Adami pœnitentiæ unâ voce favent ; quibus præit Author Libri Sapientiæ , Adamum è ſuo crimine à Deo eductum apertè teſtificans : *Cuſtodivit , & eduxit illum à delicto ſuo* (b) . Paria de Evâ ſentire, æquiſſimum eſt . Utriusque Feſtum Græci ad diem 19. Decembris conſignant (c) .

Adami ſepultura & magnitudo.

II. Veteres aliqui in Hebron Adamum ſepul-

(a) *Iren. Tertull.Origen. Epiphan. Hieron. Auguſt. & alii .*

(b) *Sapien. X. 2.*

(c) *Bolland. t. 4.Februar. p. 449.*

pultum crediderunt, iis freti Vulgatæ verbis; *Nomen Hebron ante vocabatur Cariat-Arbe; Adam maximus ibi inter Enachim ſitus eſt* (a); quo etiam Textu ſibi perſuaſerunt nonnulli, Adamum omnium, qui unquam fuerint, corpore, ſive mole maximum fuiſſe. Hebræus tamen alio ſenſu explicatur. *Vetus Hebronis nomen erat Cariath-Arbe. Homo hic* (Arbe) *erat maximus* (ſeu Pater) *Enachim*. Immane quantùm Adami magnitudinem exaggerant Rabbini! Docent, primum hominem adeò magnum fuiſſe, ut ambo Mundi confinia attingeret. Deo tamen, poſt peccatum, manum ſuper ipſum comprimente, ad centum ulnarum menſuram redactum. Apud aliquos nongentorum cubitorum altitudinem obtinebat, dicuntque, petentibus Angelis, de priſtinâ illius altitudine perterritis, inter hos fines reſtrictum (b). Quicumque tamen id ſibi ſumpſerunt negotii, ut ambages iſtas evolverent, autumarunt, Deum creaſſe hominem vaſtâ omnium ſcientiarum cognitione grandem; ſed de prærogativis hiſce viri plurimùm a Deo poſt crimen detractum; Ad ſepulturam Adami quod attinet, plures in Calvario illum ſepultum putant (c); ubi, & ſacellum

(a) *Joſue XIV. v. ultimo.*

(b) *Vide lib. Sanhedrin & Bartolocci t. 1. p. 65.*

(c) *Origen. tract. 35. in Matth. Epiphan. hæreſ.* 46. *Ambroſ.* 10. *in Lucam.*

cellum illi ſacrum viſitur (*a*). Verùm S. Hieronymus de hac ſententiâ ait: *Favorabilis opinio; & mulcens aurem populi, nec tamen vera* (*b*).

Libri Adamo & Evæ attributi. De Lilith fabula.

III. Cum Adam à Deo, cujus perfecta ſunt Opera, immediatè prodierit, in omnium hominum Magiſtrum, & Caput, deſtinatus, mentis illum amplitudine, ſcientiâ & claritate præditum fuiſſe, ambigendum non eſt. Illi à quibuſdam Hebraici characteres accepti referuntur. Judæi Pſalmum: *Bonum eſt confiteri Domino*; illi adſcribunt; quem ſtatim à creatione compoſuiſſe arbitrantur. Apud Gnoſticos erat Liber, cui titulus: *Adami Apocalypſis*; inter Apocrypha a Gelaſio rejectus; qui alterius quoque Libri, *de Pœnitentiâ Adami*, meminit. Maſius Librum de *Creatione*, Adamo adſcriptum, recenſet (*c*). Dicunt Arabes, Adamum vicenos Libros è Cœlo lapſos accepiſſe, quibus plures leges, plura promiſſa & vaticinia continebantur (*d*). Zabii, ſive Sabæi, dicti etiam Chriſtiani S. Joannis Baptiſtæ, Librum quemdam ab Adamo ſingularibus planè characteribus, ſermone verò prorsùs Chaldaico conſcriptum, ſe habere gloriantur, eumque ita ſuſcipiunt, ut nos Biblia (*e*). Adamum, poſtquam filios & filias ge-

(a) *Quareſmi t. 2. l. 5. p.* 481.

(b) *Hieron. in Math.* 27. *Vide P. Serry præfat. ad Canum.*

(c) *Apud Salian. to. 1. Ann. p.* 230.

(d) *Hottinger. Hiſtor. Orient. p.* 22.

(e) *Herbelot Biblioth. Orient. p.* 715.

genuiſſet, nongentos & triginta annos agentem obiiſſe, narrante Moyſe, certiſſimum habemus (*a*). An verò Eva ad eamdem ætatem pervenerit, incertum. Evangelium Evæ, Gnoſticorum opus, & ab illis vulgatum, in quo plura abſurda, Epiphanius commemorat (*b*). Innotuit etiam Liber Oraculorum Evæ, quem Angelum Razielem, Adami Præceptorem, ſcripſiſſe ferunt. Sepulchrum primæ fœminæ conſtituunt Mahometani in Gidda ad Mare Rubrum, decem dierum itinere a Mechâ, cujus eſt veluti portus. Probabilius tamen eſt, eodem cum Adamo ſepulchro conditam fuiſſe, ubicunque illud fuerit. Docent Rabbini Lilith primam fuiſſe Adami uxorem, quæ a viro profuga nequidem ab Angelis adduci potuit, ut ad virum rediret. Tradunt preterea infantes recens natos ab eâ necari; quare Judæi ſtatim ac parvulus naſcitur, hæc terrâ ſignant: *Adam & Eva adſint, procul Lilith*. Addunt tandem, Adamum ex Lilith Genios, ſive, uti appellant, Spiritus erraticos, quos corpore inſtructos putant, ſuſcepiſſe (*c*).

IV. Seth Juſtorum Pater fuit, ſicut & Cain corrupti generis Princeps. In libro apocrypho inſcripto, *Parva Geneſis*, legimus, Sethum 40. annorum ætate raptum in Cœlum, crimen a Vigilantibus, ſive ab ipſis Angelis patrandum intellexiſſe; ſimulque aquis orbem univerſum obruen- *Libri Setho attributi.*

(a) *Geneſ. V. 5.*
(b) *Epiph. hæreſ. 26.*
(c) *Calmet diction.* *vv.* Lamia, Lilith, Adam, Circumciſio.

obruendum; quin & adventum Meſſiæ in Mundum; quæ omnia ad Adamum & Evam retulerit. Additur, poſteros Sethi uſque ad milleſimum annum ab initio Mundi tranquilla pace quietos in regione ſupra Eden manſiſſe; ſed Dæmonis inde invidia factum, ut elegantiâ filiarum hominum caperentur. Tandem idem Liber habet, Sethum 191. annorum ætate grandem, ſororem ſuam Azuram duxiſſe (a). Lambecius manuſcriptum laudat Bibliothecæ Imperialis, eo titulo, *Aſtronomia tradita ab Angelo Patriarchæ Seth* (b). Apud Authorem Operis imperfecti in Matthæum occurrit mentio Libri, ejuſdem viri nomine inſcripti, in quo de Sidere Magis illuceſcente, & de muneribus ad Salvatorem ab illis delatis (c). Plures alios Libros eidem attribuebant Gnoſtici & Sethiani, & modò etiam attribuunt Mahumetani, Arabes, Æthiopes, Samaritani (d). Porrò Sethiani Sethum priùs è Mundo translatum, tandem prodigio reſtitutum, Jeſum Chriſtum fuiſſe, fabulabantur. Hinc non è Mariâ genitum, dicebant (e).

Columnæ, quæ à filiis Seth inſcriptæ dicuntur. Literarum inventio.

V. Tanquam ex veteri acceptum traditione nar-

(a) *Syncell. Chronic. ex parvâ Geneſi.*
(b) *Lambec. l. 7. p.* 261.
(c) *Hom. 2. in Matth.*
(d) *Epiphan. hæreſ.* 28. & 39. *Compen. Theol. Mahumed. cum verſ. Reland. Fabric. Apocr. Vet. Teſtam. ar. Seth.*
(e) *Epiphan. hæreſ.* 39.

narrat Joſephus (*a*), jam inde ante diluvium filios Seth, docente Adamo, intellexiſſe, periturum Mundum aquis priùs, tum iterum igne; quare ut ad poſteros manarent, Aſtronomica inventa ſua deſcripſiſſe in duplici columna, lapideâ alterâ, ut aquarum injuriis reſiſteret, alterâ verò lateritiâ, ne vim ignis ſentiret; quarum prior ſua adhuc ætate in Syriâ ſupereſſet. Hæc porrò ſi vera eſſent, Literarum uſum ante diluvium obtinuiſſe demonſtrarent; nam Libri, qui Adamo, Setho, aliiſque Antediluvianis tribuuntur, ſuppoſitios eſſe, non ambigitur. Dixi, ſi vera eſſent; ſunt enim, qui Joſepho impoſitum fuiſſe, velint. Scimus profectò ex Manethone, Thauthum ſecundum, Ægypti Regem, tradidiſſe vulgaribus literis, quæ olim Thauthus primus hieroglyficis de medicinâ in columnis, erectis in *Syriadâ*, expreſſerat (*b*). Ammianus pariter narrat, Veteres, futurum Diluvium prævidentes, metuenteſque, ne ulla cæremoniarum ſuarum memoria ſupereſſet, ſubterraneos quoſdam receſſus, quos *Syringas* appellabant, excavaſſe, ibique in petris ritus ſuos hieroglificis literis exculpſiſſe (*c*). Porrò nomina illa *Syringa*, *Syriada*, *Syria* ſatis adinvicem conveniunt. Quare non ægrè perſuaderemur, Joſephum illud Manethonis teſtimonium, ſtudiumque ac ſagacitatem Veterum illo-

(a) *Joſeph l. 1. Antiq. c. 3.*

(b) *Manetho apud Euſebium & Syncellum.*

(c) *Ammian. Marcellinus l. 23.*

illorum, quos Ammianus memorat, unâ cum lapide aliquo, quibuſdam vetuſtis detritis characteribus inſculpto, qui fortè in Syria ſpectaretur, præ oculis habentem, de filiis Seth narrationem inſtituiſſe. Verùm Thauthus primus, Græcis Mercurius, cui Marshamus (*a*) hieroglyphicarum literarum inveniendi honorem tribuit, poſterior eſt Diluvio, cum patrem habuerit Menem, quocum idem Marshamus Cham, Noë filium, confundit. Unde & Diluvium ab Ammiano memoratum, alterum à Noëmico reputandum eſt, cum illius incommodo hieroglyphica, ſive animantium figuræ, ac rerum imagines pro remedio opponerentur (*b*). Hæc quidem probabiliſſimè dicuntur; tanta tamen non ſunt, ut conſenſum extorqueant. Præterquamquod enim nonnulli primum illum Thauthum, ſive Mercurium, alias Hermetem, & Edrin, cum Henocho Patriarcha antediluviano confundendum cenſeant (*c*), cuinam inveniendi hieroglyphica honor tribuendus ſit, nemo in apertam lucem revocavit; & ſi revocaretur, quærendi adhuc daretur locus, an Joſeph de hieroglyphicis literis, vel de alio literarum genere locutus fuerit. Præceſſerintne hieroglyphicæ literæ vulgaribus, quamvis vero propiùs videatur, incertum eſt. Perſuaſum habuerunt quidam, lite-

(a) *Marſhamus ſæc.* 1. *ex Sycello.*

(b) *Vide Calmet in Geneſ. VI.* 13.

(c) *Herbelot. Biblioth. Orient. p.* 449. *Abulfarg. de Dynaſtiis.*

teras nunquam non obtinuiſſe in Mundo; quo enim largitore Deo homo uſus eſt obtinendæ rationi & loquendì facultati, ita, inquiunt, eo tradente didicit artem exprimendi intimos animi conceptus Scripturâ. Revocant alii ſeriùs uſum receptæ ſcripturæ è Setho, alii à Noë, alii ab Abrahamo, à Moyſe, à Phænicibus, ab Ægyptiis. Æquiùs alii cenſent, pluribus rei inventæ honorem tribuendum eſſe, ut inventas à ſe alii aliis tradiderint, receptas ab aliis alii perfecerint, multiplicarint, propagarint, immutarint. Nihil eſt igitur in hac re niſi incertum. Illud tamen tutò aſſeri poſſe confidimus, ante Moyſem ſcilicet literas obtinuiſſe, quamvis in Orbe nihil ſuperſit Moſaicis Libris vetuſtius. Copia illa omnium ſcientiarum, quâ Moyſes in Ægypto excultus fuit; Tabulæ Legis, à viris inter Hebræos ampliſſimis utique lectæ; Libri Fœderis, Legis, Repudii, Maledictionis, ad explorandam fœminæ de adulterio ſuſpectæ cauſam; hæc omnia, inquam, inſinuant, uſum legendi, ſcribendique habuiſſe familiarem Ægyptios, Hebræoſque ab illis divulſos.

VI. De Enos, Sethi filio, hæc ſcribit Moyſes: *Hic cœpit invocare nomen Domini* (a). Cum antea quiſque in colendo Numine mentis ſuæ pietatiſque ductum ſequeretur, Enos eſterni Divini cultûs rationem ad certam normam redegit, numero ac naturâ oblationum cæremoniarumque præſcriptis. Hæc interpretatio pleriſque *Enos omnium primus Nomen Domini invocat.*

(a) *Geneſ. IV. 26.*

riſque ſanè probatur. Aliis ſuccurrit; Enos obtinuiſſe ut appellaretur Deus, ſive quòd famulatui & miniſterio Divino ſeſe maximè addixiſſet; ſive quòd Aſtrologiæ operam navare cœperit; ſive quod Literarum Hebraicarum author eſſet. Reputant nonnulli, tempore Enos, qui pietatis ac Divini cultûs partes ſequebantur, nomine Filiorum Dei cœpiſſe diſtingui ab impiis Caini poſteris, qui Filii Hominum appellabantur (*a*). Quamplures Hebræorum Doctores putantes, Idololatriam Enos ætate invectam in Mundum fuiſſe, textum in hæc verba reddunt: *Tunc cœptum eſt prophanari nomen Domini*. Porrò ſcelus illud obtinuiſſe in malorum illâ illuvione, quam inſinuat Moyſes illis verbis: *Omnis caro corruperat viam ſuam* (*b*), nonniſi probabiliſſimè crederetur. Sed hæc recentiora videntur anno 1140., qui morte Enos diſtinguitur: quare Rabbinorum ſententiam tueri non poſſunt. Enos Cainan genuit, Cainan Malaleel, Malaleel Jared; de quibus nihil memoriæ proditum eſt, præter ortum, generationem & obitum.

Henoch non apparet. VII. Henoch, filius Jared, 65. annis natus Mathuſalam procreavit, atque exinde ad alios 300. annos ætate productâ, ſuſceptâque prole ſatis copiosâ, *ambulavit cum Deo, & non apparuit; quia tulit eum Deus* (*c*) Hæc verba vârias ſortita ſunt interpretationes. Volunt quidam, He-

(a) *Geneſ. VI.* 2.
(b) *Geneſ. VI.* 12.
(c) *Geneſ. V.* 24.

Henochum naturali quidem morte ſublatum fuiſſe, ſe pro illo tempore nimis acerba. Addunt, Deum idcircò præripuiſſe virum, ne cum cæteris, quos gliſcens jam malitia rapiebat, corrumperetur (*a*). Allegorica expoſitione hiſtoriam Henochi Philo interpretatur (*b*). Vir ille, ait, è perditiſſimæ vitæ ratione ita Dei virtute in alteram meliorem translatus eſt, ut nulla ex parte ulteriùs idem inveniretur, deleretque ex hominum mente veluti memoriam illius hominis, qui antea fuerat. E' conſortio hominum ſecedens, nulli ſe permittebat, à nullo inveniebatur. Gemina ingerit P. Boulducus, ſingularium ſanè opinionum author. Hic, Aſceteriis Monachorum jam inde ab hominum exordio in Mundo conſtitutis, Prædicatorem ac Regularis diſciplinæ Aſſertorem Henochum attribuit (*c*). Cum ergo Patriarcha ille filium Mathuſalam anno ætatis ſuæ 65. ſuſcepiſſet, Mundo valedicens, inter Monachos ſeſe adlegit, ambulavitque cum Deo, Religionis exercitiis ſe totum addicens. Poſt actos in Religione 300. annos, Deus virum ad ſe revocavit, raptum, uti Eliam olim, igneo curru cœlitùs demiſſo. Hæc Capuccinus ille; qui inter multa fabuloſa omninò ad libitum excogitata, nonnulla vera dicit. Semper enim viguit in Eccleſia traditio; Henochum ſcilicet adhuc in vivis agere, trans-

 la-

(a) *Rabbini, Calvinus, &c.*

(b) *Philo de Abraham.*

(c) *De Eccleſia ante Legem l. 1. c. 14.*

latumque ad Deum extra Mundum unà cum Eliâ; utrumque autem in Mundum iterum revocandos ante extremam Judicii diem, ut Antichriſto opponantur, atque aberrantes homines ad ſaniora revocent, Elias quidem Judæos, Henochus verò Gentiles.

Anno Mundi 987. Ante Christũ 3013. *Henoch transfertur.*

VIII. Ita profectò narrationem ſuam digerit Moyſes, ut ſatis inſinuet diſtinguere ſe translationem Henochi à cæterorum obitu. Eximiam viri ſanctitatem commendat illis verbis: *Ambulavit cum Deo*. Addit deinde ceu virtutis præmium: *Non apparuit, quia tulit eum Deus*. An pro præmio mors, & communis cum cæteris diſceſſus? S. Paulus omnibus remotis ambagibus idem innuere videtur: *Fide Henoch translatus eſt ne videret mortem* (*a*). Poſt aſſerta adeò Moyſis & Pauli teſtimonia fruſtra in cauſam, omnium penè Patrum & Interpretum teſtimonia adducerentur (*b*). Nec in Eccleſia tantùm, ſed & in Synagoga de Henochi translatione viget opinio. Onkelos enim Moſaicum textum ita vertit: *Et non apparuit, & non occidit eum Deus*. Rabbinus autem David, translatum illum dicit in Paradiſum terreſtrem, una cum Eliâ; quod ſe tenere aſſerit ex ſententiâ vulgò apud viros inter Judæos doctiſſimos accepta (*c*).

IX. Ad

(a) *Hebr. XI. 5.*

(b) *Vide Calmetum & Natalem Alexandrum in diſſertationibus, quas de hoc argumento adornarunt.*

(c) *In 2. Regum II. 1.*

IX. Ad locum quod ſpectat, Scriptores non conveniunt. Alii Paradiſum terreſtrem (*a*), alii Cœlum præferunt (*b*). Cæteri verò judicium ſuum ea in re ſuſpendunt, rati otioſè admodum ſupervacaneam hanc quæſtionem, nulla ſatis firma authoritate definiendam, tractari (*c*). Latinus textus Libri Eccleſiaſtici, translatus in Paradiſum habet (*d*); ſed deeſt illud *in Paradiſum*, in Græcis, Originalium loco habitis. Quando autem admitteretur, de ſignificatione hujus nominis ex integro quæſtio repararetur. Paradiſus locum deliciis addictum deſignat. Porrò geminos illos viros aliqua beatitudine frui, omnes convenimus; quâ? ignoramus. Sed vix perſuaderemur, aut Paradiſum terreſtrem adhuc extare, aut ſuperſtites adhuc homines, quos ad diem certam manet interitus, Cœlo & Beatorum felicitate donari. *Ubinam Henochi ſedes?*

X. Sententiæ, quæ aſſerit, Henochum & Eliam regreſſuros in Mundum contra Antichriſtum, fides adſtruitur ex Apocalypſi (*e*), ubi legimus, Deum geminos teſtes excitaturum, qui ſacco induti prophetabunt 1260. diebus ad- *Henochus unà cum Eliâ contra Antichriſtũ apparebit.*

 ver-

(a) *Iren. l. 5. c. 5. Aug. l. 6. cont. Julian. c. 30. S. Thom. 1. p. q. 102. ar. 5. & alii plures.*

(b) *Athanaſius & Hieronymus videndi apud Calmetum ubi ſupra.*

(c) *Gregor. Tertull. Chryſoſtom. Theodoretus &c.*

(d) *Eccleſiaſt. XLIV. 16.*

(e) *Apoc. XI. 3.*

verſùs illius errores ; à quo necati vitæ glorioſæ & immortali reſtituentur . Quamquam autem nullos opinandi limites in determinandis illis teſtibus Eccleſia præſcripſiſſe videatur , fateamur , tamen oportet , ſententiam illam , quæ venturos in Mundum duos illos viros præfert ; multùm cæteris præſtare , ſive antiquitate , ſive merito , ſive numero Scriptorum . Illam enim tuentur Irenæus , Tertullianus , Ambroſius , Hieronymus , Auguſtinus , Gregorius , & Veteres ferè omnes ac Recentiores ; qui in Apocalypſim , vel de Antichriſto ſcripſerunt (*a*). Eliſæus loco Henochi ſuos habet fautores , ſuos & Jeremias ; raros tamen uterque . Plures habet Moyſes , inter quos Gagnæus , Catharinus, Maldonatus , Abbas Joachim , quibus præivit S.Hilarius . Moyſem quoque præferunt Arias Montanus , & Alcaſarius ; ſenſu tamen omninò diverſo ; alter enim in Moyſe Legem , in Eliâ Prophetas agnoſcit ; alter verò in Moyſe Sapientiam , in Eliâ Zelum , quibus pollebant primi Evangelii prædicatores , intelligit . Pannonius duos teſtes de Veteri & Novo Teſtamento interpretatur . Apocalypſis oraculum non de futuro,ſed de tranſacto tempore ita intelligunt aliqui , ut duorum teſtium nomine deſignatos credant Jeſum Chriſtum & Joannem Baptiſtam . S. Ambroſius & Ephrem Patriarcha Antiochenus Henocho & Eliæ eumdem Joannem Baptiſtam addunt . Nonnulli denique remoto

(a) *Vide illos in laudatâ Calmeti diſſertatione.*

moto Joanne Baptiſtâ, Henocho & Eliæ ſocium dant Joannem Evangeliſtam, ut oppugnetur Antichriſtus manibus trium Prophetarum; primi, qui vixit in Lege Naturæ; alterius, qui in Lege Moyſis; ultimi, qui in lege Chriſti. Porrò hæc additio ſententiam de Henochi & Eliæ in Mundum regreſſu promovet potiùs, quàm infringat. Aliarum verò ſententiarum varietas ſatis indicat, quamlibet illarum minùs eſſe validam, imparemque, ut priori illi, quæ Henochum & Eliam conſtantiſſimè tuetur, obſiſtere valeat.

Prophetia Henochi à S. Juda Laudata.

XI. Teſtimonium S. Judæ Apoſtoli de eodem Henocho, alterius diſputationis, non minùs operoſæ, quàm præcedentis, argumentum eſt apud Interpretes. *Prophetavit autem de his* (hæreticis & impiis,) *ſeptimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerant, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum* (a). Quærunt nimirum, an Apoſtolus ſententiam illam ex Libro Henochi, qui primis Eccleſiæ ſæculis extabat, & cujus fragmenta noſtrâ ætate ſuperſunt, decerpſerit; an verò receptam traditione, ſive privatâ revelatione ſententiam ſcriptis mandaverit. Veriſimiliùs tamen credimus, deſumptam eſſe ex libro mox laudato, apocrypho quidem, ſed veras quamplurimas hiſtorias continente; quarum à falſis diſcretio in ædi-

(a) *Judæ v.* 14.

ædificationem Fidelium Apoſtolo conceſſa ſit. Scriptum enim videtur opus illud poſt everſionem Templi per Romanos, cum de illâ mentionem faciat. Factu autem poſſibile cenſemus, ut Judas tandiù poſt Templi everſionem ſupervixerit, ut commodè illud legere potuerit. Si cui tamen oppoſita ſententia placeret, reputandum eſſet, Libri authorem, facilè ex Judæo Chriſtianum, è prophetia Henochi, ab Judâ relatâ, ſtruendi operis ſub tanto nomine ſumpſiſſe occaſionem; ratum id potiſſimùm conducturum, ut ad Religionem Chriſtianam Judæos & Gentiles converteret, ſi prædictum à viro ante Diluvium nato, ac rebus geſtis & famâ ampliſſimo, Chriſtum demonſtraret. Eadem quoque fuit mens Scriptoribus illis, qui Lucubrationes ſub nomine Mercurii Triſmegiſti, hoc eſt, ter magni, Sibyllarum, Quarti Eſdræ, Teſtamenti duodecim Prophetarum, ſicut & alias ejuſdem ſaporis obtruſerunt; quâ quidem fraude impoſitum eſt non raro vetuſtiſſimis Eccleſiæ Patribus, quibus non ſatis in eâ re cautis, tanta virorum nomina fucum fecerunt.

Veterum opinio de Angelorum connubio. XII. Juſtinus ſanè, Athenagoras, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Lactantius, aliique ex eodem Henochi libro opinionem de concubito Angelorum cum mulieribus & de Gigantibus ex illâ nefariâ permixtione natis, hauſere. Continebat enim inter cætera opus illud, Angelos, quos Egregoras, ſive Vigiles appellat, fœmi-

narum

narum pulchritudine viſâ, turpi illas deperiiſſe amore, mutuiſque ſe adhortationibus excitaſſe, ut ſibi in uxores charas quiſque puellas adſciſceret. Nequiſſimi hujus connubii fructus Gigantes, monſtra illa hominum totâ antiquitate notiſſima. Tunc noxiæ illæ artes fabricandi arma, cudendi in nummos metalla, exprimendi ex herbis venena, Magiæ, Aſtrologiæ, & alia id generis ſexcenta. His non contenti Gigantes, quæ ab Angelis parentibus acceperant, cibum ſibi ex hominum carne parabant; ut imminuto plurimùm hominum genere,paucitatem ſuam intelligentes, qui inter illos ſupererant, Deum precibus ſollicitarent, ne hominum genus negligeret. Tunc Deus Urielo, Angelo bono, præcepit, iret ad Noë, moneretque virum quidquid illi præſtandum eſſet, ut à communi hominum exitio per Diluvium inducendo, eximeretur, animalium & plantarum damnum repararet, novumque ſubſtitueret hominum genus, ad exitum uſque ſæculorum permanſurum. Alligato deinde per Angelum Raphaelem Azazele, malarum artium inventore præcipuo, commiſſisque inter ſe ſe mutua cæde Gigantibus, Michael Divinis juſſionibus obſequutus, contulit ſe ad Semiexam, malorum Angelorum Principem, & coactum illum oculatum teſtem ſpectare Gigantum cædem, ad Mundi extrema raptavit, ibique uſque ad ultimam judicii diem relegavit, unâ poſtea cum cæteris perduellionis conſortibus in ignem æternum dejiciendum.

Le-

Legebatur etiam in eodem Libro, Angelum Urielem, Aſtrorum Principem, à Deo miſſum veniſſe doctūrum Henochum rationem Menſis, Anni, & Solſtitii. Hæc ſumma fragmenti Libri Henochi apud Syncellum ſervati; in quo tamen fragmento prophetia Henochi à Juda laudata non invenitur. Porrò corpore Angelos conſtare, amore fœminarum tangi, generandi facultate pollere, aliave abſurda, quibus ſcatebat Liber, nec Henochus unquam ſcripſit, nec Judas unquam approbavit. Mirum hujuſmodi Operi tantùm detuliſſe Veteres, ut Tertullianus (*a*) tempore Diluvii in Arca apud Noë ſervatum fuiſſe, ſive in Diluvio diſperſum, ab authore iterum exaratum, & ad Noë tranſmiſſum, arbitratus ſit! Verùm Tertulliani, aliorumque authoritas non prohibuit, quin Eccleſia ſcriptum illud damnaret. Eccleſiæ autem judicio ſapientiſſimi Patres ſuo ſuffragio accedentes, totum librum rejecerunt, unâ tantùm exceptâ ſententiâ ab Apoſtolo relatâ, cui ipſius Apoſtoli teſtimonium Divinam authoritatem conciliavit (*b*).

Mathuſala Diluvio univerſali nunquam ſuperſtes.

XIII. Henocho natus eſt Mathuſala, qui diem clauſit 969. annis functus, omnium ſcilicet mortalium maximè grandævus. Authores illi, qui quorumdam Græcorum Exemplarium fidem

(a) *De Cultu Fœminar. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 10. de Idolol. c. 4. & 15. Apolog. c. 22.*

(b) *Origen. hom. 28. in Num. & l. 5. con. Celſ. Hieron. de Script. Eccl. in Judam. Aug. l. 15. de Civit. c. 23. & l. 18. c. 38.*

ſidem ſequuti, virum illum 14. annis poſt Diluvium vixiſſe credebant, alii aliò abierunt; nam Gregorius Syncellus autumavit, Mathuſalam prodigiosè ſervatum ab aquis Diluvii, & fortè translatum fuiſſe, ut Henochus ipſius pater; inde verò in terras reſtitutum; Euſebius verò ſupervixiſſe illum tradit; qua tamen ratione ab exitio eximeretur, ſe ignoraſſe fatetur. Sed Mathuſalam anno Diluvii obiiſſe, certiſſimum eſt. Mathuſala enim, juxta Hebræum, 187. annis natus genuit Lamechum; Lamechus, cum annum 182. attigiſſet, Noë genuit; cujus ad annum 600. Diluvium conſignatur. Si quis conflet in unam ſummam annos 600. Noë, 182. Lamechi, & 187. Mathuſalæ, reddet annum 969. emortualem Mathuſalæ & Diluvio deſtinatum (*a*).

Quæ nominis Noë ſignificatio.

XIV. Nomen Noë *quies* vel *ceſſatio* ſignificat; quod cum puero pater ipſius Lamech imponeret, ait: *Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Deus* (*b*). Hujus oraculi fidem ad literam impleſſe Noë, putant Judæi, invecto in Mundum uſu vomeris, & animalium ad terræ culturam. Conſolatus eſt Noë parentes ſuos oblata ſpe æquioris rerum ſtatus, & minùs corruptæ generationis, cujus ipſe origo & pater deſtinabatur. Id etiam nomini Noë maximè conveniebat, quòd ex illo oriturus eſſet Meſſias,

(a) *Vide ſupra c. 6. num. 4.*

(b) *Geneſ. V. 29.*

ſias, Rex pacis & mortalium conſolator; cujus & typum referebat. Arca enim, à Noë ædificata, emblema eſt Eccleſiæ, à Chriſto inſtitutæ, abſolutiſſimum; in quam ſi quis per Baptiſmum introductus non fuerit, aquis æternæ damnationis, Mundum univerſum inundantibus, abſorbeatur, neceſſe eſt.

Connubia inter Filios Dei & Filias Hominum, ex quibus orti Gigantes. Deus Diluvium minitatur, jubetque Noë, ut Arcam conſtruat; quæ quidem Arca latè deſcribitur. Ex Animantibus in Arcam introductis alia pura, alia impura.

CAP. VIII.

Anno Mundi 987. Ante Chriſtum 3013.

Circa hoc tempus Filii Seth prophana connubia cum Filiabus Cain miſcent.

I. FIliæ Hominum, patrum ſuorum prava exempla ſecutæ, noxia contagione, & elegantis aſpectus illecebris Filios Dei infecerunt, pellexeruntque, ut ſecum connubia jungerent (a). Complures ex Veteribus nomine Filiorum Dei Angelos intellexiſſe, ſatis compertum eſt; quam quidem opinionem nedum Henochi Liber promovebat, verùm etiam quædam Septuaginta Interpretum exemplaria, quæ loco Filiorum Dei, Angelos habebant: *Angeli videntes filias hominum*, &c. Filiorum Dei nomine Animas deſignari cenſuit Philo; quæ ſcilicet per aëra volitantes, nulli addictæ corpori, ſedes

(a) *Geneſ. VI.* 1.

ſedes habere in hominum corporibus optarint (*a*). Gemina legas in Origene (*b*). Modò autem Filios Dei eſſe filios Sethi, qui cum filiabus Caini connubia inierint, nulli dubitamus.

IJ. Jam inde à Mundi exordio Giganres extitiſſe, inſinuat Moyſes (*c*); nec à ratione abludit; quippe homines tunc vitam diutiſſimè producebant; quòd validæ proceriorisſque ſtaturæ argumentum eſt: Verùm poſt prophana illa connubia monſtrorum illorum genus multò auctum eſt, paſſimque homines occurrebant, immanes ſtaturâ, robore inſignes, impotentes, truces, non ſatis neque Legem, neque Religionem reverentes, qui ſibi ad vitia nihil facerent reliqui. Veterum & Recentiorum nonnulli reputarunt, nuſpiam in Mundo ſpectatos adeò excedentes ſtaturâ homines, quales nobis fingimus Gigantes, duplo, triplo, quadruplo cæteris majores. Eſſe proinde Scripturæ Gigantes homines ſtaturâ quidem aliis, ſed modicè tantùm altiores; multùm autem præſtare impotentia & ſcelerum immanitate. Rejiciunt Scriptores iſti hiſtoriolas de oſſibus Gigantum è terrâ effoſſis, defendentes, eſſe hominum è vulgo oſſa, in majus è lapideâ quâdam materiâ aucta; vel ſaltem belluarum quarumdam lypſana, aut tandem oſſa foſſilia, terræ vi plaſticâ efformata (*a*). Ve-

Gigantum origo & veritas.

(a) *Philo de Gigant.*
(b) *Origen. l. 1. cont. Celſum.*
(c) *Geneſ. VI. 4. Vide Interpretes in eumdem locum.*

(*a*). Verùm citra Scripturæ notam, Gigantes multò juſtam ſtaturam quinque pedum & ſemis exceſſiſſe, inficiari non poſſumus. Iſraelitæ enim poſt Chanaanitidem exploratam reduces, homines è genere Enac, quorum comparatione ipſi locuſtis majores non viderentur, ſpectaſſe ſe, referebant (*b*). Og Rex Baſan lecto novem cubitis, quindecim ſcilicet pedibus, & quatuor digitis cum dimidio ſternebatur (*c*). Goliath cubitos ſex palmo excedebat; quod decem pedibus & ſeptem digitis reſpondet (*d*). Porrò ſi hominum ætate ad anguſtiſſimos fines redactâ, ſub Joſue nempe & David, adhuc tamen Gigantes occurrebant, quid reputandum eſt de tempore, quod Diluvium præceſſit, cum ſcilicet homines ad mille ferè annos vitam prorogabant? Quid de Otho, Ephialte, Polyphemo, aliiſque Gigantibus ſcripſerint Poetæ, nemo ignorat (*e*); quæ ut fidem non extorquent, ſunt tamen veluti receptæ vulgò traditionis jam inde à veteri ætate de Gigantum extraordinariâ ſtatura indicia apertiſſima. Eorum error, qui perſuaſum habuerunt, Gigantes ex Angelorum perduellium cum filiabus hominum connubio prodiiſſe, Gigantum veritatem invictè probat;

(a) *Philo, Joſephus, Origenes, Euſebius, Goropius, Becanus, Temporarius, Kircherius, aliique apud Calmetum in ſuâ de Gigantibus diſſertatione.*

(b) *Numer. XIII.* 33.

(c) *Deuter. III.* 2.

(d) 1. *Reg. XVII.* 4.

(e) *Odyſſ.* 9. & 11. *Virg.* 3.

bat; quippe qui teſtimonium de vulgatâ apud populos de Gigantibus perſuaſione admittat. Dandum ultrò, naturam ludentem interdum quædam in terræ ſinu produxiſſe humanis oſſibus, calvariæ, tibiæ, denti, non abſimile: Numquam tamen eò deveniet, ut integras oſſium humani corporis compages naturalibus ſimillimas effingat. Quin & illi naturæ luſus argumentum ſui nunquam non præbent, ſive majori, quam par eſt, rotunditate, ſive figuræ, ſive proportionis, ſive tandem ſoliditatis diſcrepantiâ. Poſt hæc omnia non ampliùs ambigendum, magno numero Gigantes olim in Mundo extitiſſe, quorum frequentia id efficeret, ut non monſtra haberentur, quemadmodum de pumilionibus conſtat, quorum ſinguli ſucceſſione carent, ſed certa ſunt hominum genera. P. Boulducus defendit Nephilim, Raphaim, Zuzim, Enacim, Emim, Zomzomim, quæ apud Scripturam variorum Gigantum ſunt nomina, nil ſive ſtaturâ, ſive criminum immanitate portentoſum ſignificare, ſed homines, qui virtute, & ſanctitate, vitâque potiſſimùm in aſceteriis laudabiliter actâ cæteris præferentur, Gigantum ob id nomine honoris causâ donati (a). Riſum teneatis amici!

III. Prophanis filiorum Sethi cum Caini filiabus connubiis, Gigantumque ac reliquorum hominum criminibus commotus Deus: Exter- Anno Mundi 1536. Ante Christum. 2464.

Tom. I. I mi-

(a) *De Eccleſia ante Legem l.* 1. *c.* 8. & *l.* 3. *c.* 2.

minabo, ait, hominem, qui vitam ita inſtituit, veluti ſi nihil eſſet præter carnem, nihilque ſibi elaborandum eſſet, quam ut ipſi ſerviret: *Eruntque*, adjecit, *dies illius centum viginti annorum* (*a*). Verbis autem iſtis non unus eſt ſenſus. Sunt enim, qui ita exponant: E' vitâ hominum annos plurimos expungo, ut è nongentis ad centum & viginti redigantur (*b*). Alii verò in hunc ſenſum malunt interpretari: Non ſupra centum & viginti annos vitæ hominum adſcribo, quibus evolutis omnes diſpergam (*c*). Quod & nobis magis probatur; nam prior illa expoſitio exemplis Patriarcharum, qui poſt Diluvium longè ultra centum viginti annorum ætatem vitam produxerunt, opponitur. Sem enim vixit annos 500. Arphaxad, Salem, Heber plures quadringentis; reliqui uſque ad Abraham 200. ſuperant; exinde Patriarchæ uſque ad Moyſem vixere annos plures centum triginta, præter unum Joſephum, qui ultra centum & decem annos vitam non produxit. Reponi utique poteſt, Deum verba illa feciſſe ad Noë ante centum annos à cœpto Diluvio, non ante 120. Narrat enim Moyſes, Deum verba ad ſanctum virum habuiſſe anno 500. ætatis

(a) *Geneſ. VI. 3.*

(b) *Philo de Gigant. Joſeph. l. 1. Antiqu. c. 4. Lactant. de Divin. Inſtitut. l. 2. c. 15. aliique.*

(c) *Chyſoſt. hom. 22. in Geneſ. Hieron. qq. Hebr. Aug. l. 15. de Civit. c. 24. & Interpretes ferè omnes.*

tis ipſius; Diluvium verò componit cum anno 600. (a). Verùm hanc difficultatem diſſolvunt SS. Auguſtinus & Hieronymus: quorum alter, rotundum numerum 500. annorum adnotaſſe Scripturam pro 480. autumat, ut hæc locutus fuerit Deus 20. annis, antequam annos agens 500. filios Noë genuiſſet, etſi ejus generatio per anticipationem deſcribatur. Alter autem Divinæ juſtitiæ falce amputatos ex hominum ætate 20. annos mavult, ut pro indulto ad pœnitendum 120. annorum ſpatio, 100. deinde tantùm concederet.

Arca fabrica præſcribitur.

IV. Cum igitur Deus hominum ſcelera diutiùs ferre noluiſſet, accìto Noë, qui Religionem Pietatemque ſummo ſtudio colebat, ſignificavit, apud ſe exitium hominum, & animalium, quæ criminoſis peccandi inſtrumenta præbebant, decretum eſſe; Arcam proinde fabricaret, in quâ hominum & animalium reliquiæ conſervarentur. Arcæ autem fabricam ita edocuit. Ex lignis *Gopher* tibi componenda, in parva cubicula diſtribuenda, & bitumine interiùs exteriùſque linienda eſt moles, cujus longitudo 300. cubitos, 50. latitudo, & 30. altitudo adæquet. Feneſtram in eâ facies, totamque claudes Arcam uſque ad cubitum propè ſummitatem. Tria ad hæc in eâ diſtribues ſolaria (b), & ad ejus latus januam aperies. Hæc Deus. Porrò ligna Gopher nonnulli de vimini-

 bus

(a) *Geneſ. V. ultimo, VI. 3. VII. 6.*

(b) *Geneſ. VI. 16. juxta Hebræum.*

bus interpretantur ; quod incredibile omninò videtur . Aliis ſunt ligna quadrata , aliis cedrina , aliis reſinoſa , uti pinus, abies, terebinthus, cupreſſus . Sed hæc fruſtra quæruntur , utpote quæ nunquam invenientur .

Arcæ Noëmicæ deſcriptio.

V. Ut clarior de Arca habeatur idea , poſt clariſſimos viros , qui in eam rem ſedulam egregiamque operam navarunt (*a*),excogitandum eſt ingens quoddam Templum figuræ quadrangularis & oblongæ , quatuor cubiculorum ordinibus diſtributum, cujus tectum, ne ſtagnantibus aquis corrumperetur , in medio aſſurgat aliquantò , ad latera verò in declivi , adinſtar Cœli , quod vocant , currûs inclinetur . Aſſerit Origenes è veteri traditione , Noëmicum cubitum fuiſſe ſex vulgaribus æqualem (*b*) . Origenis ſententiam non probat tantùm S. Auguſtinus , ſed & de ridiculo traducit illos , quibus monſtri loco habeatur navigii illius enormitas , quæ ampliſſimas urbes ſuperaſſet (*c*) . Sed dimenſiones iſtas vulgò omnes rejiciunt , cubito Hebraico alii viginti pollices cum dimidio , alii duodeviginti aſſignantes . Quare altitudo Arcæ 30. cubitorum tanta erat , ut commodè quatuor ſolariis diſtingui potuerit . Primo tres cubiti cum dimidio , ſecundo ſeptem , tertio octo adſcribantur . Ab ul-

(a) *Pelleterius , Jo. Buteo , Salianus , Calmetus , aliique .*

(b) *Origen. hom. 2. in Geneſ. & l. 4. con. Celſum.*

(c) *Aug. l. 15. de Civit. c. 27. Quæſt. in Geneſ. l. 1. c. 4.*

ultimo ſolario ad tectum ſpatium ſit ſex cubitorum cum dimidio. Craſſities ſolariorum ac tecti quinque reliquos cubitos occupet. Primum hujus ædificii ſolarium loco carinæ eſſe poterat; cujus Moyſes non meminit, faciè quòd nulli eſſet uſui, niſi potabilibus aquis continendis; meminerunt tamen Philo & Joſephus (a). Alterum ſolarium horreo ſeu penario deſtinabatur; tertium ſtabula continebat pro quadrupedibus & terreſtribus animantibus, quartum denique volatilibus,& Noë familiæ addictum. Stabula pro terreſtribus animantibus 36. commodè deſignari poterant, totidemque pro volucribus caveæ, dato ſingulis ſpatio 15. cubitorum in longitudine, 17. in latitudine, & 8. in altitudine. Sunt, qui ſtabula pro quadrupedum ſpeciebus diſtinguant; idemquè de volucrum caveis ſtatuant; immeritò tamen; nam plures ſunt quadrupedum & volucrum ſpecies, quæ eodem convictu facilè utantur. Præter hæc omnia tantum ſpatii reliquum eſſe poterat in ſupremâ navigii contignatione, ut plures cellulæ conſtitui potuerint recondendis utenſilibus domûs, inſtrumentis ad agros colendos, tritico ſeminibusque ad terram poſt Diluvium ſerendam. Inſuper culinam, aulam, quatuor cubicula, ac tandem ambulacrum ſibi ſuiſque Noë reſervare potuiſſet.

VI. Exactiſſimâ ſupputatione demonſtratur, aquarum in ſentinâ contineri potuiſſe ultra 31174. do- *Aquæ in animalium uſum.*

I 3

(a) *Philo de vita Moyſis l. 2. Joſeph. l. 1. Antiq. c. 3.*

31174. dolia Pariſienſia; quod ſatis ſuperque eſt ſufficiendis aquis integro anno turbæ hominum atque animantium quadruplo majori, quàm quæ in Arcâ contineretur. Ita pariter oſtenditur, annonæ in horreo plus contineri potuiſſe, quàm quod opus fuiſſet. Autumarunt quidam, nihil opus fuiſſe, ut aquæ potabiles compararentur, rati, ſalſas maris aquas alias è Cœlo dilapſas potabiles ita correxiſſe, ut è feneſtrâ Arcæ hauſtæ animalium ſaltem ſiti extinguendæ ſervirent. Verùm, ut nihil de hac penè incredibili ſalſarum aquarum correctione dicamus, Arca innatare ceſſavit jam inde à die 27. ſeptimi menſis, hæſitque in ſicco ſupra Montes Armeniæ ſpatio fermè ſeptem menſium. Tunc autem nullæ planè aquæ exteriùs comparari poterant.

Animalium numerus. VII. Numerus animalium, quæ in Arcam convenerant, minor eſt, quàm qui vulgò creditur. Quadrupedum ſpecies 130. circiter nobis innoteſcunt, totidemque volatilium. Reptilia 30. non excedunt. Mole verò ſex quadrupedum ſpecies Equum ſuperant, paucæ adæquant, plures infra ovem ſunt. Hinc quadrupedes, additis inſuper 3650. ovibus pro cibo animalium carnivororum, tantum ſpatii circiter occupabant, quantum 120. boves, 3730. oves, & 80. lupi tenerent. Facilè tamen animantia omnia fœno, fructibus, & leguminibus veſcebantur, ut 3650. illæ oves opus non fuerint. Ex volatilibus raræ ſuperant Cycnum, ſer-

fermè omnes ſuperantur. Ad reptilia quod attinet, exilia ſunt, ac pleraque vitam tolerant in aquis; quare ab Arcâ excludi poterant, vel in ſentinâ collocari.

Janua Arcæ feneſtra, æquilibrium.

VIII. Janua ita conſtitui poterat, ut duobus ſuperioribus ſolariis reſponderet; quò commodius eſſet animalibus in deſtinata ſibi conclavia per pontem ſuccedere. Ædificii autem ſymetria & æquilibrium id poſcere videtur, ne ad latera ſecundùm longitudinem, ſed ad unam Arcæ oram extremam in medio latitudinis aditus collocaretur. Cùm feneſtra demittendo in Arcam aëri & luci deſtinaretur, facilè in ſuperiori ſolario ſtatim poſt tectum circùm univerſam Arcam regnabat, unum habens in altitudine cubitum. Vitro ne, an Chryſtallo, ſeu potiùs pellucido lapide obducebatur? Variant Scriptores. Ego in poſteriorem ſententiam inclino, quòd Vitrum & Chryſtallus recentiora ſint inventa. Quo autem æquo pondere contineretur Arca, hac Noë cautione uti potuit, ut poſita priùs in medio ſtabula & caveas amplioribus animalibus impleret. Pondera illa quæ ponuntur in imo navis fundo, eidem navi firmandæ, quæ velis maliſque inſtructa ſit, continendæ Arcæ, his omnibus deſtitutæ ſuperflua haberentur. Annonæ tandem animantibus omnibus ſubminiſtrandæ, familiam Noë parem fuiſſe, non eſt cur ambigamus. Quæ hucuſque de Arca digeſta ſunt, nihil abſonum rationi, nihil naturæ legibus, nihil Geometriæ regulis

contrarium habent; ut doctiſſimi mathematici, & navigiorum expertiſſimi Architecti ſtatuerint, nunquam fieri potuiſſe, ut magis exactum, elaboratumque ad artis regulam ædificium pararetur; ætate præſertim Noëmicâ, cum ſcilicet navigandi ars tenera adhuc vagiret. Eſt igitur, cur Deo authori, ſuoque lumine illuſtranti rudes adhuc eâ in re hominum mentes tribuamus Arcæ fabricam, quæ intentui ita ſerviret, ut nihil ſupra Artificum ſcientiſſimi excogitare valerent. Negocium faceſſit nonnullis Arcæ figura, oblongum referens quadrangulum; ſed illis utique animadvertendum eſſet, molem hanc ad navigandum non deſtinari, ſed ut tempore ſat diuturno ſuper aquas fluitans, reliquias hominum, brutorumque conſervaret. Adductis quin etiam exemplis demonſtraretur, aptiſſimam hanc eſſe navigii formam ad navigandum non minùs, quàm ad ferendum. Cuidam Petro Hans de Horne, qui rem experiri voluit, unum illi occurrit incommodi, quòd nonniſi in pace valere naves ejuſmodi intelligeret; neque enim machinis tormentariis erant aptæ (*a*).

Ex Animalibus, alia munda, alia immunda.

IX. Fabricam Arcæ edoctus Noë, illam ſibi & uxori, filiiſque ſuis Sem, Cham, Japhet, ac illorum uxoribus, quos à Diluvio, quod meditabatur, ſervare, & ſtabili fœdere ſecum unire decreverat, componendam eſſe, à Deo pariter didicit; à quo & illud in mandatis accepit, ut, cum diluvii tempus immineret, duos

(a) *Pelleterius de Arcâ Noë c.2.pag.29.& 30.*

duos mares, totidemque fœminas ex unâquâque immundorum animalium ſpecie, ex mundorum verò ſeptem paria in Arcam introduceret. Huic numero Samaritanus, Septuaginta, Vulgatâ, & quidam Scriptores favent (*a*). At Hebræus inſinuare videtur, duo tantùm animantia immunda, & ſeptem munda, tres ſcilicet mares, parique numero fœminas, ac unum abſque compare, facilè poſt diluvium ſacrificandum, in Arcam introducenda fuiſſe. Hanc ſententiam plurimi tum Patres, tum Interpretes præferunt, putantes, numerum 14. mundorum, & quatuor immundorum majorem eſſe, quàm ut in Arcâ contineretur, ſicut & minùs neceſſarium ad genus conſervandum; quod unicum erat in hac re Dei conſilium (*b*). In diſcretione verò animantium purorum ab impuris non opus eſt, ut ad quamdam revelationem à Deo primis hominibus factam, aut ad diſcrimen ſub Lege tandem introducendum (*c*), recurramus; naturali enim quodam inſtinctu inclinamur in eâ, quæ noſtris ſive voluptatibus, ſive ſervitiis apta videntur; retrahimur verò à noxiis quibuſque & ingratis. Si quis, Moyſem ad Legis ſanctionem reſpexiſſe, malit, quærendum

(a) *Author qq. ad Hortod. q.* 43. *Carthuſ. Oleaſter, Abenezra. q.* 50. *in Geneſ. Hieron. l.* 1. *con. Jovin. Aug. l.*15.*de Civit. c.*27.

(b) *Joſeph. l.*1. *Antiq. c.* 3. *Chriſoſt. hom.* 24.*in Geneſ. Theodoret.*

(c) *Levit.* XXIV. 20. *Vide infra l.*4. *c.*2. *n.*1. *& c.*4.

dum adhuc illi ſupereſſet, an animalia munda deligenda eſſent in ordine ad ſacrificium, quæ in Lege pauciſſima erant, vel in ordine ad cibum, quæ majorem numerum implebant. Noë tandem juſſus eſt, ut commeatus & ſibi, & animantibus omnibus pro toto Diluvii tempore provideret.

Noë homines à vitiis fruſtra deterret. Præmiſſis in Arcam Animantibus Noë cum familiâ ſuâ eò ſe recipit. Aquæ Terram operiunt. Varii de Diluvio Calendarii. Diluvium fuit univerſale. Recentiorum de Diluvio ſyſtemata.

CAP. IX.

Anno Mundi 1656. Ante Chriſtum 2344. *Noë cum familiâ ſuâ Arcam ingreditur.*

I. QUæcumque mandaverat Deus, complere exinde Noë non ceſſavit, ſimulque quâ verbo, quâ integerrimæ vitæ exemplo & admirandæ Arcæ conſtructione homines præmonebat de irâ Dei, quæ jam jam immineret (*a*). Nihil tamen vir Sanctus profecit; Diluvium enim homines flagitiis veteribus adhuc obrutos, præſtandæque Deo ſatisfactionis prorſus oblitos intercepit (*b*). Aſſerunt quidem S. Hieronymus, & Rupertus Abbas, nonnullos ex iis, qui Diluvio perierunt, damnationem æternam evaſiſſe;

(a) 1.*Petr.III.*20. & 2.*Petr.XI.* 15.

(b) *Matth.XXIV.*37. *Luc.XVII.* 26.

ſe; quòd Deus propterea peccatores temporali ſupplicio puniat, ne ſempiternis poſt hanc vitam ſuppliciis addicat (*a*); Verùm hæc ratio nimis latè patet, & communiter improbatur (*b*). Potuerunt quidem impii agere pœnitentiam illi præſertim, qui montes incolebant, creſcente ob oculos diluvio; ſed ipſos re verâ pœnitentiam egiſſe, nullo certo argumento probaretur. Hominibus igitur Divinam ultionem minùs expectantibus, Noë à Deo, terram aquis poſt hebdomadam obruendam, intellexit; quare à die 10. menſis ſecundi anni ætatis ſuæ 600. uſque ad diem 17. ejuſdem menſis apparandis omnibus neceſſariis in Arcâ occupatus fuit. De modo, quo animalia in Arcam introducta ſint, ambigitur. Sunt, qui Angelorum miniſterium, vel prodigium aliquod in eam rem adhibitum velint. Aliqui, Noë arte & cibo ea in Arcam adduxiſſe, malunt. Quidam denique ad Arcam illa properaſſe cenſent, eo inſtinctu, quo hirundines benignam Cœli temperiem hyeme quæritant, aliò tranſmigrantes. Introductis in Arcam animalibus, manè tandem diei 17. Noë ipſe unâ cum uxore, ac filiis eorumque uxoribus ingreſſus eſt; ſtatimque Dominus oſtium Arcæ obſeravit exteriùs, oblinivitque poſtes, ne aquæ intus penetrarent.

Initi diluvii tempus.

II. Sat convenit inter Scriptores de anno diluvii,

(a) *Hieron. qq. Hebr. Ruper. l. 5. comment. in Geneſ.*

(b) *Vide Alexandrum in ultimâ diſſert. primæ ætat. Vet. Teſtam.*

luvii; ſupputant enim à creatione annos 1656. At de menſe, quo initum Diluvium, magis hærent ambigui. Cœptum abſolutumque primo vere tenent ſanè multi, ſecundum illum menſem, de quo Moyſes (a), accipientes de ſecundo Anni Sancti ineuntis à Niſan, qui Martio circa æquinoctium vernum reſpondet. Nobis autem cum doctiſſimis Chronologis perſuadetur, innui à Moyſe ſecundum menſem Anni Civilis, circa æquinoctium autumnale ad finem Septembris, exordientis; qui nempe ſecundus menſis componitur partim cum Octobre, partim cum Novembre. Cùm enim nondum egiſſet Moyſes de mandato Dei, quo Anni Sancti exordium in vere conſtitutum eſt, vix ille ſatis mentem ſuam expoſuiſſet, ſi, non præmonitis Lectoribus, quo maximè loco ne verbum quidem erat de Feſtis Hebræorum, ſecundum menſem Anni Civilis præ oculis habuiſſet. Oppoſitæ ſententiæ aſſertores obſervant, à Columbâ olivæ recentis germen relatum fuiſſe; quod tempus vernum indicare videtur. Sed perpetuâ viriditate veſtiri olivæ arborem, nec rarò ſub ipſis aquis vireſcere, exploratum eſt.

Terra aquis operitur. III. Eâdem die 17. menſis ſecundi, quâ Noë cum ſuâ familiâ ingreſſus eſt, omnibus fontibus Abyſſi magnæ, Maris ſcilicet, diſruptis, & cataractis Cœli apertis, ſolidis 40. diebus, totidemque noctibus largo adeò imbre pluit, ut aquæ quindecim cubitis ſupra montium vertices

(a) *Geneſ. VII.* 11.

tices ſe ſe extulerint, & neque auctæ, neque imminutæ univerſam terram 150. diebus occuparint (*a*). Quare omnes omninò homines & animalia extra Arcam poſita deleta ſunt. Elapſo prædicto tempore, arentem ventum excitavit Deus; quo flante diminutæ ſunt aquæ, ut die 27. menſis ſeptimi (*b*) in Montibus Armeniæ Arca conſederit. Primâ die menſis decimi, decreſcentibus aquis, montium cacumina apparuere, & 40. poſt diebus Noë corvum dimiſit, qui egreſſus ab Arcâ non revertebatur, uti quidem ferunt Codices Græci & Latini contra Hebraici textûs fidem. Conciliaretur autem omnium lectio, ſi reputaremus corvum rediiſſe quidem, ſed in Arcam non intraiſſe, quòd circa eam volitaverit, ejuſque cacumen occuparit. Poſt dies ſeptem (*c*) Noë dimiſit Columbam, quæ cum non inveniſſet, ubi requieſceret, regreſſa eſt in Arcam. Elapſis autem ſeptem aliis diebus iterum eam dimiſit, quæ ad eum veſpere rediens, ramum olivæ virentibus foliis detulit; quod evidens erat argumentum, aquas jam evanuiſſe. Poſt alios ſeptem dies rurſus dimiſſa eſt Columba, quæ non eſt ampliùs reverſa. Quare die primâ, quæ tum menſem primum, tum annum novum 1657. aperiebat, Noë reduxit tectum Arcæ, ac oculos circumquaque vertens,

ter-

(a) *Geneſ. VII.* 12. *&c.*

(b) *Geneſ. VIII.* 4. *vide hanc hiſtor. l.* c.

num.

(c) *Baſnagius*, *Uſſerius*, *aliique*.

terræ ſuperficiem exſiccatam vidit. Expectans tamen ad egrediendum Dei mandata, nonniſi die 27. menſis ſecundi pedem ex Arcâ retulit; ut ſolidum annum & decem dies in eâ permanſerit. Infauſti hujus anni Calendarium ita juxta Baſnagium digerimus.

Calendarius juxta Baſnagium.

Primus Menſis. Sept.	Mathuſala moritur.
II.October	Noë Arcam ingreditur.
III.November, dies 17.	Fontes diſrumpuntur.
IV.December, die 26.	Pluvia per 40. dies.
V.Januarius	Viventia delentur.
VI.Februarius	Aquæ perſeverant.
VII.Martius, die 27.	Aquæ decreſcunt.
VIII.Aprilis, dies 27.	Arca quieſcit.
IX.Majus,	Aquæ evaneſcunt.
X.Junius, die 1.	Montes conſpiciuntur.
XI.Julius, die 11.	Corvus dimittitur.
die 18.	Columba dimittitur.
die 25.	Columba ramum refert.
XII.Auguſtus	Dimiſſa columba nõ redit.
Annus Mundi	1657., Noë 601.
I.September, die 1.	Terræ ſuperficies ſiccatur.
II.October, die 27.	Noë ex Arcâ egreditur.

Calendarius juxta Uſſerium.

Jacobus Uſſerius rem ita exequitur; quem præ Baſnagio ſequendum ducimus.

Annus Mundi 1656., Noë 600.

Die 10. menſis ſecundi, 30. Novembris, feriâ primâ, Noë parat ſe ad ingrediendum in Arcam.

Die 17. ejuſdem, 7. Decembris, feriâ 1. ingreſſo Noë in Arcam, pluviam Deus demit-

tit

tis 40. dies ; prævalent autem aquæ ſuper terram 150. dies.

Die 17. menſis ſeptimi, 6. Maii fer. 4., deficientibus aquis, Arca requieſcit.

Die 1. menſis decimi, 19. Julii fer. 1., pergentibus adhuc deficere aquis, montes apparent.

Die 11. menſis undecimi, 28. Auguſti fer. 6. Noë dimittit corvum. Poſt ſeptem dies dimittit & columbam ; quæ iterum iterumque, tranſactâ ſubinde hebdomadâ, dimittitur.

Annus Mundi 1657., Noë 601.

Die 1. menſis primi, 23. Octobris fer. 6. Noë Arcæ tectum reducit.

Die 27. menſis ſecundi, 18. Decembris fer. 6. Noë pedem ex Arcâ refert.

Gordonus tandem hunc digerit calculum Diluvianum. *Calendarius juxta Gordonum.*

Pluit — dies 40.

Stat plenum Diluvium — 150.

Aquæ imminuuntur — 129.

Noë, terra exſiccatâ, adhuc ſubſiſtit in Arcâ — 56.

Omnes diluvii dies — 375.

IV. Arcam ſubſtitiſſe in Armeniæ Montes, quem Ararat appellant, omnibus probatur, ſi paucos excipias, qui honorem illum Apameæ in Phrygiâ ad amnem Marſyam urbi tribuunt. Illud conſtat, Apameenſes originem ſuam inter primos homines referre, acceptamque tuliſſe Deucalioni & Pyrræ, facilè Noë, ejuſque uxo- *Anno Mundi 1657. Ante Christum 2343. Noë egreditur ex Arcâ.*

uxori, qui ex Arcâ egreſſi, eò tandem devenientes, urbem condiderint (*a*). Apud Armenos Mons Ararat appellatur *Meſeſonſar*, hoc eſt, mons Arcæ. Joannes Struys affirmat, aſcendiſſe ſe ad illius verticem, ut herniofum monachum curaret; à quo muneris loco crucem acceperit, è ligno Arcæ, uti quidem Monachus ille dicebat, intactæ adhuc in eo monte, confectam. Turnefortius viciſſim aſſerit, montis Ararat verticem inacceſſibilem omnibus eſſe, mortaleſque inde perpetuis nivibus, præruptiſque cautibus repelli. Quis meliora?

Diluvium fuit univerſale.

V. Aſſerit Moyſes, non ſemel vel iterum, ſed & ſæpiùs, inundantes Diluvii aquas terram univerſam habuiſſe ſubmiſſam, animalia omnia, quà rationalia, quà irrationalia aquis illis demerſa periiſſe, fluctus tandem quindecim cubitis altiſſimis montibus ſub univerſo Cœlo altiores intumuiſſe (*b*). Quid ad tuendam de Diluvio univerſali ſententiam luculentius? Acceptam ab Judæis traditionem hanc Patres omnes ac Interpretes Catholici æquè ac Heterodoxi ad poſteros perennarunt, ſuffragantibus Beroſo, Abydeno, Polyhiſtore, Milone, Platone, Luciano, Ovidio, aliiſque; qui tamen veritatem de more pluribus à Diluvio Noëmico prorſùs abludentibus inferciunt (*c*). His tamen inſuper ha-

(a) *Calmet. Dict. v. Diluvium.*

(b) *Geneſ. VII. 19.*

(c) *Vide illos apud Joſeph. l. 1. Antiq. c. 4. Calmetum in Geneſ. VII. & P. Alexandrum in diſſert. 1. Ætatis,*

habitis, Iſaacus Peyrerius, ut ſuum de Præadamitis ſyſtema tueretur, Diluvium univerſale negavit; Iſaacus autem Voſſius eò temeritatis proceſſit, ut aſſertores Diluvii univerſalis pios nugatores traducere nequaquam veritus ſit.

VI. Quæ adverſus Diluvium univerſale opponi poſſunt, ita proponerentur. Tantam aquarum vim, quanta communi opinioni implendæ neceſſaria eſſet, vix ac ne vix quidem natura ſufficere valeret, quando omnes amnium mariſque aquæ regurgitarent in terram, nubes omnes liqueſcerent in imbrem, omnisque aër terræ circumfuſus in aquam tranſiret. Terræ univerſæ faciem ejus ætatis homines non adhuc tenebant. Ut quid ergo univerſam ſubmerſit Diluvium? Nonne ſatis ſuperque fuiſſet, frequentata hominibus loca inundare? Quomodo plantæ, ſub inundantibus Diluvii aquis intactæ vel ſaltem vivæ tandiù reſervarentur? Quomodo ab extremis Orbis finibus accirentur in Arcam animalia? Quomodo ex Arcâ reducta animalia longè latèque per Orbem propagata fuiſſent? Quomodo denique fieri potuiſſet, ut in algenti, tenuiſſimoque aëre, qualem mediæ regionis ſuper celſiſſima montium cacumina concipimus, à nullo animalium ferendo bruta & homines incolumes diù reſpirarent? Illæ phraſes: *Omnis terra*, *univerſum Cœlum*, non raro ad certos, determinatoſque limites in Scripturâ reſtringuntur. Opinio de Diluvio univerſali in alteram recurrit, in receptam ſcilicet apud Hebræos &

Momenta pro Diluvio particulari.

Patres opinionem, aquas Maris nonniſi Divino prodigio contineri, ne terram univerſam demergant; quippe quæ littoribus imminere credebantur: quæ quidem opinio jam antiquata eſt. Tandem P. Mabillonius Theologos Romanos, S. Congregationis Indicis Conſultores, rogavit, ne damnarent ſiſtema, quod, cum nec Fidei, nec bonis moribus averſaretur, eâ tantùm de causâ à Voſſio proponebatur, ut commodiùs retunderentur liberrima quædam ingenia, ex universali Diluvio argumentum efformantia, quo Sacrarum Scripturarum authoritas impeteretur. Diſcutiendum modò, num hæc tanta ſint, ut in ſententiam, à communi diverſam, concedamus.

Ante Noëmicum alterum univerſale Diluvium.

VII. Aquas in ipſo rerum exordio ſupra terram diffuſas univerſam merſiſſe, Moyſes inſinuat, diſertèque aſſerit Pſalmiſta, narrans, terram & montes aquæ amictu olim opertos fuiſſe; ſed horrificâ Dei voce aquam increpitam & perterrefactam ſeſe in fugam dediſſe, & tunc primùm apparuiſſe montium altitudinem, camporumque ac vallium humilitatem (*a*). Olim ergo ab exordio erat Diluvium univerſale. Quid autem vetuit, ut Diluvium illud iterum, Deo volente, in terram reduceretur? Quemcunque teneant locum, quidquid de illis factum ſit, conſtat utique primævas illas aquas in nihilum nequaquam rediiſſe. Diviſæ fuerunt in inferiores & ſuperiores. Inferiores non aliæ

(*a*) *Pſal. CIII. 6.*

aliæ ſunt, quàm marinæ, fontanæ, & fluviales; ſuperiores creduntur nubes, & vapores, atmoſphæram tenentes, & ipſa facilè atmoſphæra (*a*). Hæ autem nullo negocio à Deo ad antiquum ſtatum revocari potuerunt & redigi in aquas tempore Diluvii, quemadmodum antea in auras & vapores attenuavit. Ita verò factum fuiſſe, non obſcurè tradere videtur Moyſes, cum ſcribit, aggeres, & repagula, quibus in ordinem continebantur terreſtres aquæ, disruptos eſſe, revulſasque Firmamenti cataractas, vapores ſcilicet in imbrem concretos, largam pluviam demiſiſſe (*b*). Aquæ igitur inferiores & ſuperiores unâ ſimul, ut à principio, conjurarunt, coiveruntque.

VIII. Atenim Terra in ipſo rerum exordio non erat aſperata montibus; minori proinde aquarum vì poterat demergî. Eſto ita fuerit; de quo tamen maximè ambigitur (*c*); ſi nonniſi prodigio aquæ ſuper terram aſcendiſſent ad montium uſque cacumina; ſi prodigio pariter menſium aliquot ſpatio ſuperiorem illum locum tenuiſſent; prodigium utique fatemur; ſed certè non majus quàm quod adſtruitur in hypotheſi Diluvii particularis, cum ſcilicet aquæ velut in ſuſpenſo detinerentur, ut unicam tantùm regionem inundantes, in vicinas alias non re-

Quâ ratione tota latè terra potuerit aquis immergi.

K 2

(a) *Vide ſupra l.* 1. *c.* 1. *num.* 3.
(b) *Geneſ. VII.* 11.
(c) *Vide ſupra l.* 1. *c.* 1. *num.* 4.

reciderent; immaniſque illa Arcæ moles ſuper aggeſtas in montem aquas ita ſuſtineretur, ut in contrarium adnitente pondere per ejus montis devexa non rueret ad inferiora. Reputet quis, ventum, aut pondus, ſive impreſſionem quamdam validiorem ſuper Oceani aquas factam, defluentes ſtatim intelliget ſuper terram aquas maris. Nihil hìc magis naturæ legibus adverſum, quàm quæ in æſtu maris quotidie cernimus. Una eademque res eſt, major hìc, ibi minor. Idem conſequeretur, ſi mare quodam inſolito agitaretur motu, ut quando excitantur procellæ; idem, ſi aër rarefieret, multòque evaderet levior; tunc enim âquæ, quæ ſub illius pondere deprimuntur, & condenſantur, altiùs turgerent, ac extra littora excurrerent; idem, ſi rarefierent ipſæ aquæ, majoremque occuparent locum; idem, ſi immenſas illas voragines, quæ latent in mari, repleret aër, indeque aquas expelleret; idem, ſi Globus terreſtris, quem tenet ad axem Mundi, ſitum immutaret; ſi enim ubi maximè regnat terra, Mundi centro vicinior fieret, ubi verò Oceanus magis patet, ab eodem removeretur, aquæ ſanè Oceani ſuper terram ſuâ ſponte diffluerent. Hæc de aquis marinis. Ad aquas pluvias quod ſpectat, ſi quis vapores, & aëris maſſam, totumque illud quod inane vocamus, in aquam redigat, demonſtratum eſt, illud ex hac aquarum mole habiturum plus 165.vicibus, quàm ſit opus ad implendam illam aquarum altitu-

titudinem, quam fert Moſaicus textus (*a*). Miraculum ubique recurrere iterum fateor; ſed cum alterutrâ admiſsâ ſententiâ ſeries ſuccedentium inter ſe miraculorum ſtatuenda ſit, præſtat utique commune retinere ſyſtema, quam particulare admittere, non minoribus difficultatibus implexum.

IX. Nunquam profectò aſſerendum ſuſciperemus, genus humanum ante Diluvium tantùm creviſſe, ut per omnes Mundi regiones diffunderetur; ſed nec contrarium affirmare auderemus. Longo 1656. annorum ſpatio potuit utique Mundus univerſus frequentari; quin & tractum illius temporis prorogat Voſſius ſupputationem ad Diluvium ſtatuens 2256. annorum. Si Mundus univerſus hominibus non frequentabatur, ſi ſaltem Deus illam tantùm regionem, quam homines incolebant, aquis obruere deſtinaſſet, ut quid Arcam conſtrui, & animalia omnis generis in eâ colligi juſſiſſet? Nonne minori molimine homines & bruta in regiones aquis immunes recipi potuiſſent, quomodo Loth ejuſque familia Sodomâ, igni deſtinatâ, ſeſe receperunt?

An diluvii tempore Mundus univerſus eſſet frequentatus.

X. Plantas & arbores manere potuiſſe ſuperſtites ſub aquis Diluvii, ex eo deducimus quòd plantæ & arbores ejus regionis, in qua ſubſtitit Arca, quamque Noë, pedem ex illâ referens, inhabitavit, intactæ vel ſaltem vivæ, ſervatæ ſunt, præbueruntque poſt Diluvium ho-

Plantæ ſub aquis conſervantur.

(a) *Pelleterius de Arcâ Noë pag.* 384.

hominibus & animalibus alimoniam. Si regnantibus Diluvii particularis aquis arbores omnes & plantæ ejus regionis corruptæ ſunt, unde ramus ille vel germen olivæ, quod columba retulit ad Noë?

XI. Nulla animalia deſiderata credimus in Aſiâ, in quâ & illa à Deo creata ſunt, & Arca à Noë fabricata. Si quod fortè defuiſſet, illud in Arcam deducere, Dei partes fuiſſent. Quonam autem modo potuerint animalia in remotiſſimas Inſulas, in quibus nunc degunt transferri, non una eſt ſententia. Sunt, qui velint, Americam, omnium maximè diſſitam noſtro continenti jungi & continuari in partibus borealibus, quæ ob nimium frigus à noſtris hominibus rimari adhuc non potuerint; vel ſaltem olim junctam & continuatam ingentium terræ motuum vì ſeparatam fuiſſe: Placet aliis, eò translata fuiſſe animalia in navibus ad jocum; ad delicias, ad pompam, vel ad aliquam aliam utilitatem, uti factum conſtat de duabus illorum ſpeciebus, Equinâ ſcilicet & Bovinâ, quæ in Americâ deſiderabantur. De volucribus aliter loqui poſſumus; illæ facilè volando ad viciniores inſulas tranſierunt, atque ex his ad alias magis remotas ſubinde pervenerunt, identidem tamen in medio Oceano quieſcentes, aquis alarum miniſterio innixæ, vel arboribus navium insidentes, ſeque in tanto itinere paſcentes culicibus, & piſcibus volatilibus, quibus pelagus abundat. Poſtremò qui

pu-

putant, novum Orbem hominibus frequentari cœpiſſe, quòd inter navigandum procellarum vì abrepti eò appulerint, vel quòd Deus illuc eos prodigio aliquo tranſtulerit, alias explicandi hujus tranſitûs rationes ſuppeditabunt.

XII. Quæ afferuntur ad evincendam ſummorum montium culmina incolas ferre non poſſe, aſſerto plurium teſtimonio falſi convincuntur. Ad hæc, in noſtrâ hypotheſi vis aquarum hujus ſpirabilis aëris ſedem occupaſſet, eumque ad ipſa montium culmina elevaſſet; proindeque receſſiſſet longiùs media illa aëris regio, quæ animalibus non toleranda prædicatur. *Supra quorumcunque montium culmina animalia vivere queunt.*

XIII. Ultrò dandum, phraſes illas: *Omnis terra, univerſum Cœlum*; interdum reſtringi & determinari; idem tamen in præſentiarum fieri poſſe, abſolutè negamus; quòd aperta Scripturarum authoritas, narrationiſque contextus, ac perpetuus Synagogæ & Eccleſiæ conſenſus reſiſtat, reſpuatque talem interpretationem. *Scripturæ verba, ubi de diluvio, limitationem on patiuntur.*

XIV. Quæ olim vigebat opinio de Mari, littoribus imminente, poterat quidem ſententiam de Diluvio univerſali fulcire & illuſtrare; at momenta, quibus tanta res adſtruebatur, ex patenti, minimèque obſcuro, aut implexo Moſaicæ narrationis textu petebantur.

XV. Laudanda doctiſſimi æquè ac prudentiſſimi Mabillonii œconomia, quâ ſuccreſcentes in dies Heterodoxorum turbas ſilentio amputare curabat; ſed damnanda viciſſim Voſſii *Mabillonii prudentia.*

audacia, quâ imprudenti ſatis conſilio, ut authoritatem Scripturarum ponat in tuto & ſacro illarum textui vim infert planè apertam, & Scriptores omnes inſuper habet, traducitque veluti nugatores; quod, quamvis concederetur, ſententiam de Diluvio univerſali pari gradu cum fidei dogmatibus non conſiſtere, minimè tamen licere, ſapiens quiſque judicabit.

Abſurda Burneti, & Vooduvardi ſyſtemata. XVI. Thomas Burnetus Anglus explicare conatus eſt phyſicâ quâdam, planèque novâ ratione univerſam Diluvii œconomiam (*a*). Statuit igitur, Terram ab exordio rotundâ ſuperficie teretem, nulliſque aſperatam montibus, aquarum molem in centro continuiſſe; eoque in ſtatu diù poſt rerum creationem perſeveraſſe. Factum autem cenſet, ut multis terræ motibus humus pluribus in locis ſubſideret, aggeſtâque in aliis ſtrue protuberaret; ex quibus disrupta ſint hinc inde aquarum repagula, unde illæ magno impetu prorumpentes è centro, univerſam latè Terram inundarint. E' tumultuariis autem terræ aggerationibus elevatos dicit montes, depreſſasque valles, ac campos & littora ſtrata. Addit, nulla fuiſſe ante diluvium maria, nullos imbres, iridem in Cœlo nullam. Quam verò nos incolimus terram, poſtquam igne repurgata fuerit, recepturam tandem, aſſerit, primævam illam formam, donec

nec

(a) *Telluris theoria priores de Diluvio & ſacra . . . . . . libri duo Paradiſo.*

nec poſtrema die in Stellam fixam transferatur. At citra veritatem Burnetum loqui, ex eo colligas, quod Moyſes non obſcurè aſſerat, ante Diluvium & Flumina, & Maria & Mòntes extitiſſe. Deſcribit enim hortum Eden, & curſum amnium ex eo defluentium, ea planè ratione, quâ modò etiam ſpectantur. Notat pariter aquas ab exordio creatas, ad Domini imperium in unum omnes defluxiſſe locum, quem Mare appellat. Narrat tandem aquas quindecim cubitis vertices celſiſſimorum montium ſuperaſſe (*a*). Erant igitur ex tunc montes. Sed & aliquid audaciùs Burnetus aſſerendum ſuſcipit, dum ſcribit, omnia quæ Moyſes refert de creatione, de tentatione Evæ, de Paradiſo terreſtri, non veram eſſe hiſtoriam, ſed allegoriam. Scriptor alter Anglus Vooduvard contendit, terræ maſſam omnem Diluvii aquis reſolutam, ſubſidentem tandem in ſinu aquarum novam aliam terram formaſſe, variis ſoli, ſeu materiæ terreſtris, in liquido innatantis, ſtratis compactam. Juxta hanc hypotheſim exponit conchas fortè occurrentes in locis à Mare diſſitis, molares illos elephantinos, animalium oſſa, piſces in lapides concretos, & alia id generis, quæ ſuprema montium culmina offerunt ſpectantibus; reputat ille, hæc omnia cum egeſto ſolo in Diluvio univerſali commixta, bituminoſâ quâdam materiâ, vel ſalinis terræ partibus benè ſubacta, concreviſſe in lapides, retentâ ta-

(a) *Geneſ. I. 10. II. 10. VII. 19. 20.*

tamen priſtinâ formâ , novâ licet adoptatâ rerum naturâ (*a*) .

Fœdus Dei cum Noë , cujus appendix carnis cum ſanguine interdictio , teſtis verò Iris . Noë inebriatur . Chanâan maledicitur . De Semo & Japheto vaticinia . Noë moritur diviſâ inter filios Terrâ univerſâ . Præcepta Noachida . Noë ſepultura . De Noë ejuſque filiis fabulæ .

CAP. X.

Anno Mundi 1657. Ante Christum 2343.

Deus cum Noë fœdus init .

I. EGreſſus ex Arcâ Noë unâ cum ſuâ familiâ , ſtatim erexit Altare , unumque ex ſingulis animantibus mundis Domino offerens , igne abſumpſit (*b*) . Cum verò Dominus ſacrificium ſibi gratum accepiſſet : Nequaquam, ait , terram univerſam maledictione percutiam, neque Anni tempeſtates deinceps confundam , ut antea feci ; miſeratuſque hominum ad crimina pronam voluntatem , nunquam committam , ut aquis Diluvii illi , eorumque addicta ſervitiis bruta , iterum deleantur . Largâ deinde benedictione tum ipſum Noë , tum filios ipſius donavit , innovanſque præceptum primis parentibus datum , juſſit ut generi ſuo multiplicando operam navarent . Quo quidem præcepto tota

(a) *Naturalis hiſtoria Telluris illuſtrata .*

(b) *Geneſ. VIII. 20.*

tota hominum natura onerata eſt, ne ſcilicet genus humanum periret, non verò ſinguli homines; quare perperam heterodoxi ſibi perſuadent, præceptum illud, Evangelico Caſtitatis conſilio adverſari.

II. Conceſſum etiam Adamo jus in animalia, Noë filiiſque ipſius Deus aſſeruit, ſimulque indulſit, ut eorum carnibus, non ſecus ac oleribus, veſcerentur, carnis tantùm cum ſanguine uſum excipiens. Non ſatis tamen conſtat, quid Deus hìc interdixerit; an ſcilicet ſuffocatarum carnium uſum vetaverit; an animantis, cujus ſanguis non prorſus defluxerit; an ſanguinis cocti, coagulati, liquentis; an carnis crudæ; an membri è viventi animalì avulſi, vel reſciſſi; an denique, ut his omnibus abſtinerent, præceperit. Grotius, Salmaſius, Gerardus Voſſius, Blondellus, aliique lege illâ, ab Apoſtolis renovatâ (*a*), etiam nunc Chriſtianos oneratos putant; nec ſanè diffitendum, pluribus in locis ad undecimum uſque Eccleſiæ ſæculum morem illum perſeveraſſe (*b*). Communis tamen & vera ſententia, ab Auguſtino prolata, aſſerit, legem illam tandiù viguiſſe, quamdiù paries intermedius Judæos à Gentilibus divideret; cum ſcilicet Eccleſia nondum ex utraque gente plenè coaluiſſet. Poſt-

Carnis cum ſanguine uſum Deus interdicit.

(a) *Actorum XV.*20.

(b) *Humbertus Cardinalis Dialog. contra Græcorum calum. tom. IV. Biblioth. Patrum: Vide Calmetum in Geneſ.IX.* 4.

Poſtquam verò nulli ampliùs ſunt in Eccleſia Iſraelitæ ſecundùm carnem, nemo, ait S. Doctor, ſibi ducit religioni, ſi carnibus utatur animalis, cujus ſanguis in terram non defluxerit (a). Porrò conſilium Dei in ea lege ferenda illud fuiſſe videtur, ut homines ab exercenda in ſuos feritate removerentur. Hinc ſtatim Deus ſubjunxit, ultionem exacturum ſe de belluâ fuſi ſanguinis humani reâ, ſicut & de homine, qui hominem interfecerit. Quin & permiſit ultionem ſanguinis pro ſanguine, mortis pro morte; quod tamen Talionis jus à ſingulis privatiſque hominibus in Magiſtratus, Regeſque deinde translatum eſt, atque à Chriſto Jeſu limitationibus nonnullis & temperamentis in certos fines redactum (b).

Iris Fœderis teſtis. III. Ut firmior verò ſuis verbis adhiberetur fides: Fœderis, ait Deus, quod ego vobiſcum brutiſque omnibus firmo, teſtem Arcum in nubibus ponam; quo apparente, terram generali alluvione nunquam in poſterum obruendam, recordabor. His inſinuari videtur, Iridem antea in Cœlo non apparuiſſe; quod tamen vix poſſet intelligi, niſi ſtatuamus cum Burneto, terræ alium fuiſſe ad Solem aſpectum vel ſitum, nullumque ſuperioribus temporibus cecidiſſe de Cœlo imbrem. Cum autem hæc falſa omninò ſint, vel ſaltem temerè dicta, præſtat, reputemus, Iridem, cum antea non-

niſi

(a) *Auguſt. contra Fauſtum l.*32. *c.* 13.

(b) *Matth. V.* 39.

niſi imbrem referret, modo eſſe & pignus Divinæ erga homines & bruta clementiæ promiſſioniſque; eâ planè ratione, quâ inertes antea lapides in monumentum conſtituti ſunt fœderis inter Jacobum & Labanum initi (*a*). Porrò fœdus Dei, quâ animalia ſpectat, facilè Hebræorum præjudicia tangit. Ægyptii, inter quos enutriti erant Hebræi, in Deorum cenſum referebant ferè omnia regionis ſuæ animalia, intelligendi inſuper facultate inſtructa eſſe illa exiſtimantes. Ipſi enim opinionem de metemphycoſi apud gentes plurimas propagarunt. Omnes ferè Orientales brutis rationem tribuebant; quin & illuſtres quidam Philoſophi, Empedocles, Pythagoras, Galenus, Cleantes, Eudoxus, Porphyrius, Ælianus, aliique plures: Moyſes igitur ſatis habuit bruta repræſentare veluti à Deo Hebræorum creata, de quibus ad nutum diſponit, punit, conſervat, hominibus ſubmittit; quæ ad corrigendam de Divinitate & immortalitate illorum opinionem plurimùm valent. Ad alia præjudicia quod attinet, quæ faciliùs in meliùs corrigerentur, quàm penitùs eraderentur, Sacer Sriptor illis utendum ſibi cenſuit, ad ingerendum hominibus miſericordiæ in æquales ſibi ſenſum, damnatâ etiam in brutis ſævitiâ & immanitate, initâque cum illis fœderis ſolemnitate.

IV. Quamvis ante Diluvium non deeſſent vites, de exprimendo tamen vino homines non ad- *Noë ebrius.*

(*a*) *Geneſ. XXXI.* 47.

adhuc cogitarant. Quare Noë, cum ageret agricolam, vitem primus coluit, largiúſque epoto vino, cujus vim ignorabat, imprudens ſibi ebrietatem induxit, eâdemque imprudentiâ inter dormiendum virilia nudavit (a). His viſis, Cham patrem deriſit, remque totam fratribus ſuis extra tentorium, in quo Noë dormiebat, verſantibus, detulit; qui Seni minimè ſuccenſentes, averſoque ore retrò incedentes, quæ pudorem ingerunt, pallio operuere.

Chanaan maledicitur, Sem verò & Japhet benedicuntur

V. Experrectus Noë, & quod geſtum erat intelligens, diris Chanaan, filium Cham devovit, ſervitiiſque Semi & Japheti addixit; viciſſim autem Semo bona quæque imprecatus eſt, inque illius tentoriis Japheti augmentum prænunciavit. Prophetiæ ſuus non defuit eventus. Chananæi enim, Chanaan poſteri, ab Iſraelitis ex genere Semi, ſub Duce Joſue, magnâ ex parte deleti ſunt, reliqui in ſervitutem redacti. Japhetus autem auctus eſt in tentoriis Semi, cum primùm Græci, deinde Romani, ipſius Japheti nepotes, Aſiam, Semi portionem, ſubegerunt. Juxta Patres oraculum illud refertur ad Paganorum converſionem. Nati enim illi ex Japheto, in ſelectam Judæorum, qui Semo originem debent, hæreditatem ſucceſſerunt, aucti jure colendi verum Deum, & Religionis illius exercendæ (b). Seu potiùs Pagani in tentoria Semi tunc introducti ſunt, cum in Eccleſiam

(a) *Geneſ. IX. 20.*

(b) *Hieron. quæſt. hebr. Aug. l. 16. de Civit. c. 2.*

ſiam Jeſu Chriſti, nati ex Semo ſecundùm carnem, venerunt (*a*).

VI. Sed, ut quid maledictus Chanaam, cum Cham nudato Noë illuſerit? An, ut in filio pater puniretur? an, ne Cham à Deo poſt egreſſum ex Arcâ benedictus, à Noë malediceretur? Utramque interpretationem apud Patres invenias. Receptum traditione tenent Hebræi, Chanaan nuditatem Avi ſui, á ſe primùm deprehenſam, indicaſſe Cham patri ſuo, à quo deinde & Sem & Japhet admoniti fuerint; adduntque, Noë certiorem de eâ re factum, primum mali authorem ſuâ maledictione mulctaſſe (*b*). Hæc ſi vera ſunt, dicendum erit, quæ de Noë nuditate narrantur, nonnullis, facilè octo vel decem, annis poſt Diluvium, cum ſcilicet Chanaan pueriles annos exegerat, contigiſſe; nunquam enim puerum ante rationis uſum Noë puniiſſet. Facilè tamen abſtinuit Noë à maledictione in Cham, quamquam criminis planè reum, metu ne funeſtæ ejus maledictionis conſecutiones ex patre in filios ejus cæteros, magis fortè Chanaano modeſtos proboſque transfunderentur. Utcunque rem explicare libuerit, Moyſes notari hìc voluit originem ſimultatis illius, quæ Hebræos, Semi poſteros, inter & Chananæos perpetuò intercedere debebat. Quo anno hæc ſint conſignanda, incertum. *Cur peccante Cham Chanaan maledicitur?*

VII. Poſt

(a) *Juſtin. Dialog. cum Tryphone, Aug. ibidem.*

(b) *Bereſchit Rabba ſect.* 37. *Theodoret. q.* 57.

Anno Mundi 2006. Ante Christum 1994.

Noë moritur, diviſâ inter Filios ſuos Terrâ univerſâ.

VII. Poſt Diluvium Noë annos 350. vixit, annoſque natus 950. obiens, ſuperſtites tres filios, Sem, Cham, Japhet, ex quibus omnes homines originem ducunt, reliquit (*a*). Sunt tamen, qui aliam illi prolem, poſt Diluvium ſuſceptam aſſerant (*b*): quin & 30. liberos, quos Titanes, è matre Titeâ natos, illi affingit Beroſus, ab Annio Viterbienſi confictus. Sententia maximè vulgaris fert, Noë totum terrarum Orbem inter filios ſuos diviſiſſe, aſſignatâ Semo Aſiâ, Chamo Africâ, Japheto Europâ (*c*). Moyſis narratio ab hac diviſione non ſatis abludit. Aſia enim juxta illum, capite ſequenti latè explicandum, initio ducto ab Euphrate, ſecundùm Orientem ad uſque Oceanum Indicum, ceſſit Semo. Præter hæc, ejus poſteri occuparunt partem Syriæ & Arabiæ ad Occidentem Euphratis. Cham ejuſque filii poſſederunt Africam univerſam, Syriæ & Arabiæ portionem, & aliquid etiam regionis inter Tigrim & Euphratem, ubi Nembrod regnavit. Japhet tandem, vel ejus poſteri, Europam frequentarunt univerſam, habentes pariter ſub dominio Inſulas omnes Mediterranei, tam Europæas, quàm Aſiaticas. Fortè ceſſit illis & Aſia Minor.

Noë corpus Adæ Semo legat.

VIII. Putant Orientales, Noë à Deo man-

datum

(a) *Geneſ. IX.* 19.

(b) *Hiſtor. Scholaſt. l.* 1. *c.* 37. *Toſtatus*, *Cajetanus*, *Tornellius*.

(c) *Syncell. Chron. p.* 45. *Euſeb. Scalig. p.* 10. *Philaſtr. de Hær. c.* 70.

datum accepiſſe, ut Adami corpus in Arcam aſſumeret, ne Diluvii aquis periret; eumdemque, jam morti proximum, Semum filium ſuum ad ſe accivisſe, charumque depoſitum illi manifeſtaſſe, atque in mandatis dediſſe, ut idem ad Melchiſedechum deferret, & unâ ſimul cum eo, in loco, quem Angelus oſtendiſſet, tumularet; quod & præſtitum ſit in Calvario. Addunt, Semum ad propria remeaſſe, Melchiſedechum verò ibi ſubſtitiſſe, urbemque Jeruſalem condidiſſe (*a*).

IX. Volunt Rabbini (*b*), Deum Noë, ejuſque filiis, ac per illos omnibus eorum poſteris, quos Noachidas appellitant, quædam impoſuiſſe præcepta; quibus juris naturalis, quod omnibus, quà Judæis, quà Gentilibus commune eſt, ſumma contineretur, & quorum ſola obſervantia ſatis eſſet illis omnibus ad ſalutem. Poſt datam à Moyſe legem, illorum præceptorum obſervantia inter conditiones ponebatur, ſine quibus nemo in Proſelytum domicilio admitti poſſet. Nemini jus erat conſtituendi in terrâ promiſſionis ſedes, niſi illis legibus receptis; quin nec earum obſervatio ſatis erat ad commorandum Jeroſolymis, quod urbs eſſet ſancta. In bello pariter nemini parcendum, qui hæc præcepta ignoraſſet. Videlicet.

Præcepta à Deo Noë juxta Rabbinos data.

(a) *Herbelot. Biblioth. Oriental.*

(b) *In Gemmarr. Babylon. tit. Sanhedrin.* c. 8. *Vide Selden. de Jure Nat. & Gent. l.*1. *c. ultimo.*

I. *De Judiciis*. Obedientia præſtanda eſt Judicibus, Magiſtratibus, Principibus.

II. *De cultu extraneo*. Cultus idolorum, ſacrilegia, ſuperſtitiones eliminantur.

III. *De maledictione Nominis ſanctiſſimi*. Blaſphemiæ, & quæ ad illas referuntur crimina.

IV. *De revelatione turpitudinum*. Inceſtus, ſodomia, beſtialitas, peccata contra naturam.

V. *De ſanguinis effuſione*. Homicidium, mutilatio. Effuſio etiam ſanguinis animalis mundi, qui ſub terrâ non defodiatur.

VI. *De rapina & furto*. Præter rapinam & furtum, mendacia, perjuria, fraudes, & alia, quibus proximo damnum infertur.

VII. *De membro animalis viventis*; ne quis ſcilicet eo utatur in cibum.

Ex his præceptis ſex priora data à Deo Adamo, ſeptimum Noë, cenſet Maimonides. Addit octavum de Circumciſione, Abrahamo impoſitum. Hæc ſumma Præceptorum hominibus ante Legem injunctorum, ſi Rabbinum illum audias. A' quibuſdam aliis Rabbinis hæc præterea adduntur. A' Chavinâ: interdictio ſanguinem extrahendi ex animali vivo, ut bibatur. A' Simeone: interdictio Magiæ, & ſortilegii. Ab Eliezer: interdictio copulandi animalia alterius inter ſe generis, & arbores inſitendi. A' Chideâ: interdictio mutilandi animalia. Porrò de horum præceptorum vetuſtate & veritate maximè ambigendum eſt, cum à Scripturâ, ab

Onke-

Onkelo, ab Joſepho, à Philone, & ab ullo ex veteribus Patribus eorumdem nulla fiat mentio. Excipiendum tamen præceptum de Circumciſione, & alterum, ultimum ſcilicet ex Noachidis, ſiquidem unum & idem cum juſſione Noë factâ de ſanguinis abſtinentiâ cenſeatur. P. Alexander ſex priora præcepta in Libro Job ſibi reperire viſus eſt. Verùm cum hæc præcepta naturalis Legis jus attingant, nedum in Libro Job, ſed & in reliquis omnibus nonnihil, quod cum illis conveniat, extare ultrò concedimus.

X. Falſus Beroſus, Noë in Italiâ diem clauſiſſe, tradit. Extat in Meſopotamia amplum quoddam ſepulchrum, in quo cadaver Noë juxta gentium illarum fidem conditum eſt. Apud Geographum Perſam in regione Arabiæ maximè orientali notatur quidam locus, *Ardh-Nouh*, Terra Noë, appellatus; quod maximè congruit ſententiæ illorum, qui conditam Arcam tenent ad *Coufah*, non longè ab oſtiis Tigris in Sinum Perſicum. Illud autem certum eſt, Noë nonniſi poſt Turris Babelicæ ædificationem, jactaque per Nembrod Aſsyrii, per Cham verò Ægyptii Imperii fundamenta, ſatis ceſſiſſe. Horum enim omnium Epocha circa annum Mundi 1770. conſignatur; cum ille uſque ad annum 2006. vitam prorogaverit. *Noë ſepultura.*

XI. Saturnum, Deucalionem, Ogygem, Cœlum ſive Ouranum, Janum, Bacchum, pluresque alios Gentilitatis Deos & Heroas ex Noë geſtis expreſſos eſſe, communis eſt ſen- *Varia Noë apud Ethnicos nomina.*

tentia (*a*). Facilè tamen præ cæteris Noë Saturnus exhibet. Ex Saturno igitur & Rheâ, illius uxore, omnes ſive Dii, ſive Homines nati ſunt; ipſi verò ex Oceano & Tethide prodierunt. Quid hìc à Noë, omnium hominum poſt Adamum parente, ac ex Diluvii aquis emergente, alienum? Symbolum Saturni eſt Navis, accuſabaturque, filios ſuos omnes voraſſe, exceptis Jove, Neptuno & Plutone, quibus Orbem diviſit univerſum, Jovi Cœlum, Neptuno Mare, Infernum Plutoni aſſignans. Ita pariter Noë, tribus filiis ſuis, è Diluvii aquis ſervatis in Arcâ, unde exitium cæterorum omnium ſpectavit, terram omnem diviſit. Ferunt, Jovem patri ſuo virilia amputaſſe. Unde hæc, niſi ex Chami impudentiâ? Eôdem ſpectant Saturni tum leges, quibus vetuit, ne Dii nudi conſpicerentur, tum feſta, quæ largiùs ingurgitato vino celebrabantur. Saturnus tandem, non ſecus ac Noë, agrorum & colendæ vineæ author habetur.

Uxoris Noë nomen.

XII. Uxor Noë varia & ipſa ſortita eſt nomina, *Noria*, *Noëma*, *Bathenos*, *Tithea*, *Tethiris*, *Haicol.* Nomen Noëma præferendum videtur: Quæ tamen Noëma non videtur eſſe eadem ac filia Lamechi bigami, & ex progenie Caini; cum credendum non ſit, Noë prophano conjugio ſe ſe contaminaſſe. Gnoſtici

(a) *Bochart. Geogr. Sacr. l.* 1. *c.* 1. *Huet. de Concord. Rationis & Fidei. Grotius de Veritate Relig. Chriſt. l.* 1. *Natal. Comes Mytholog. l.* 8. *c.* 17.

ci librum illi, Noria dictum, qui ſuæ ſectæ erroribus faveret, tribuebant (*a*).

XIII. Japhet tertio loco inter Noë filios recenſeri ſolet, quamquam majorem natu inter eos extitiſſe, credamus. Moyſes ipſe ex verſione Septuaginta & Symmachi apertis verbis teſtatur: *De Sem fratre Japhet majoris* (*b*). Et ſanè Cham omnibus minor erat (*c*); Sem verò duobus annis poſt Diluvium centeſimum annum agebat (*d*); quare anno Noë 502. eſt natus; cum Japhet anno illius 500. in lucem prodiiſſet (*e*). Porrò Japhetus cum Neptuno confundendus eſt: ſicut enim illi Gentium Inſulas vindicat Scriptura (*f*), ita pariter Maris & Inſularum dominium Neptuno aſſignatur. Sem Plutonem referre videtur. Pluto namque appellatur & Hadem, Orcus, Deus divitiarum, quòd ejus poſteri auri argentique fodinas invenerint, ditiſſimaſque metallis regiones poſſederint. Ophir, Hevilath, Saba, populi è Semo, auri ſui divitiis celebrantur in Scripturâ. Typhon, Numen maximè inviſum in Ægypto, à Paganis cognomentum obtinebat *Smy*, quod multum habet affinitatis cum Semo, viro utique minùs grato Cham, Patri Ægyptiorum, quòd à Noë fratri ſuo Semo Cham ſubjectus fuerit. Cham denique ipſiſſimus eſt Jupiter: Huic Cœlum ceſſit, quemadmodum Chamo

Japhet Neptunus, Sem, Pluto, Cham, Jupiter, appellati.

L 3 Afri-

(a) *Epiphan. hær.* 26.
(b) *Geneſ. X.* 21.
(c) *Geneſ. IX.* 24.
(d) *Geneſ. XI.* 10.
(e) *Geneſ. V.* 31.
(f) *Geneſ.* X. 5.

Africa. Perſuaſum autem habebant veteres, Africam prominentiorem eſſe præ cæteris totius Orbis, Cœloque ſatis vicinam, cum Solis calori eſſet maximè expoſita. Jupiter in Ægypto & Lybiâ *Ammon* audiebat. Porrò è nomine *Cham*, aſpiratione ſublatâ, *Ammon* factum eſt.

Turris Babelica. Linguarum confuſio. Variæ de hac confuſione ſententiæ. Quænam Lingua omnium prima. Unde Lingua Hebræa id nominis ſortita ſit. Quot Linguæ in Mundo.

CAP. XI.

Anno Mundi 1770. Ante Chriſtum 2230. *Turris Babelica erigitur.*

I. PRimos illos mortales poſt Diluvium appuliſſe ad montem Ararat in Armeniâ, dictum fuit. Inde in ſubjecta arva & loca ſe ſe explicantes, tandem ſecundùm Tigrim & Euphratem ad terram Sennaar, quæ eſt in Babyloniâ, Chaldæorum ſive Aſſyriorum provinciâ, pervenerunt. Quod nonniſi plurium annorum tractu uſuveniſſe, credimus, & nullo alio facilè conſiliô, quàm ut commodiſſimas quaſque ſedes ſibi compararent. Sed tandem convenientes in eum locum, quem totius Orientis fertiliſſimum reputarent, intelligenteſque, ſe ægrè diuturniorem moram ſimul ducturos, quòd numerus hominum major eſſet, quàm id loci ferret, uno conſilio editam maximè turrim conſtruere ſtatuerunt, quâ & nomen ſuum poſteris com-

commendarent, æternumque ſocietatis ſuæ monumentum ſtaret, & nunquam deleretur memoria loci illius, unde digreſſi per varia Orbis loca duxerunt colonias (*a*). Defectum ſaxorum, cæmentique raritatem ſupplebant lateres, & ſcatens in eâ regione bitumen. Creſcebat in dies moles; cumque Dominus homines ab opere, niſi perfecto, non deſtituros videret, eorum linguas, quæ unius ſermonis ſocietate antea colligebantur, ita diſolvit, confuditque, ut quiſque ſocii loquentis voces non intelligeret. Quare invicem coacti alii ab aliis recedere, ab incœpto diſilierunt. Ex linguarum autem confuſione Turri & Provinciæ nomen inditum *Babel*, id eſt, *confuſio*.

Numerus hominũ, qui per id temporis eſſe poterat.

II. Exactiſſimis ſupputationibus demonſtratur, intra ſpatium 144. annorum, quos à Diluvio aduſque Turrim Babelicam ſupputant nonnulli, genus hominum propagari potuiſſe uſque ad 400000. virorum, totidemque fœminarum; quamquam ponatur, homines nonniſi poſt 20. annum ætatis genuiſſe, & fœminas nullos emiſiſſe gemellos; quod tamen ipſum fieri potuit; quin & factum inſinuant, quæcunque de incremento filiorum Iſrael in Ægypto leguntur. Eò profectos legimus 70. homines è familiâ Jacob, quorum pars effæta jam habebatur; brevique tamen 215. annorum ſpatio parva illa hominum manus ita crevit, ut 600000. militum armis aptorum ferret. Ut

L 4 quid

(a) *Geneſ. XI.* 2.

quid ergo ambigunt quidam, num quo tempore moliendæ turris opus ſuſceptum eſt, ſat hominum eſſet in terrâ, quot molimen poſcebat?

Turris altitudo & ſitus. III. Non defuerunt, qui Turris Babelicæ altitudinem menſi fuerint 4000. paſſibus, alii 5000., nonnulli etiam 27000., quin & ad 70000. quidam prorogant (a). Quantum exaggerant! An urbs Babylon eo loci condita fuerit, quo Turris, definiri non poteſt. In agro tamen Sennaar utramque conſtituit Scriptorum conſenſus. Noviſſima itineraria diverſimodè Turrim deſcribunt. Fabricius oculatus teſtis, & Gujon mille circiter paſſibus ambitum illius terminaſſe ferunt. Benjamin hiſce antiquior, ad bis mille paſſus ejus latitudinem extendit. Petrus della Valle refert, in loco leucæ quadrante ab Euphrate Orientem versùs, ſpectari rudera quadrati fermè & magni operis, 1150. paſſuum circiter ambitu. D.de La Boulaye apud Daviti, narrat in agro inter Euphratem & Tigrim medio, tribus leucis à Babylone, videri turrim intùs ſolidam, ſpeciem habentem montis potiùs, quàm ædificii, cujus baſis gyrat 300 circiter paſſibus; quamquam & aggeſta circùm rudera aream occupent 400. ſeu 500. paſſuum. Veras quidem habemus hìc vetuſtiſſimorum ædificiorum reliquias; ſed ipſiſſimam hanc eſſe turrim Babelicam, hæremus ambigui; maximè cum pluribus ab hinc ſæculis vel ipſius Babylonis, urbis cæteroqui ampliſſimæ, veſtigia adeo perierint, ut

(a) *Rabbini in libro Jakut.*

ut ne verus quidem illius locus queat inveniri.

IV. Exiſtimarunt nonnulli Turrim Beli, de quâ Herodotus (a), Turrim fuiſſe Babelicam, aut ſaltem ſuper ipſius fundamenta fuiſſe erectam; quod poſtremum veroſimilius habetur, cum hæc fuerit abſoluta, & ad ſibi debitam ſublimitatem redacta; altera verò interrupta, vel ut quidam malunt, fulmine disjecta, & arſa, aut terræ motu proſtrata. Hæc Babylone ſpectabatur octo conſtans turribus, eo ordine diſpoſitis, ut una alteri, & hæc ſubinde alii, ſubtiliores craſſioribus impoſitæ conſurgerent. Earum poſtremæ Templum Beli inſidebat, de cujus menſurâ, ut & de totius ædificii ſublimitate, nihil Herodotus; qui dumtaxat primam omnium turrim, & cæterarum baſim latitudine & altitudine, ſive in quadratum (non enim ex illius textu apertiſſimè colligitur) ſtadium integrum, ſive 125. paſſus abſolviſſe, narrat. Scriptores aliqui, inter quos Strabo (b), Turri toti hanc altitudinem tribuunt: alii verò cuilibet ex his turribus eamdem ſtadii menſuram donant, ut totius ædificii altitudo octo ſtadiis, ſeu mille paſſibus dimetiatur. Rem ſanè incredibilem; quam tamen admittit S. Hieronymus (c); nec deſunt, qui adhuc ſublimiorem fuiſſe ſeriò opinentur. Sed negocium facit, an turris ab Herodoto viſa & deſcripta, una eademque ſit cum eâ, quam Moiſes inſinuat; affirmantibus enim aliis,

Turris Beli eademne ac Turris Babelica?

(a) *Her.l.1.c.181.et 182.*

(b) *Strabo l.16.initio.*

(c) *Hieron. in Iſai. XIV.l.5.p.114.nov.edit.*

aliis, ædificium illud excitaſſe Nembrodum, qui cæteris audacioris conſilii caput & Princeps fuiſſe creditur; contra excipiunt alii, opus vindicantes Belo, vel Semiramidi, vel Nabuchodonoſori. Sed fieri optimè potuit, quod jam inſinuatum eſt, ut ſcilicet Nembrodus & reliqui Noë poſteri Urbis & Turris Babylonicæ fundamenta locaverint; quæ poſtea Belus perfecerit, ornarit, & ipſi Belo dedicarit Semiramis; ac tandem fulgentis jam operis nitorem auxerit Nabuchodonoſor. Strabo & Arrianus (*a*) narrant, Templum Beli à Xerſe poſt infelicem ejus adversùs Græcos expeditionem funditùs everſum. Sed Herodotus, qui poſt Xerſem ſcripſit, ſe Templum illud ſpectaſſe, affirmat. Corruit fortè ſuâ ſponte eo temporis intervallo, quod poſt Herodotum uſque ad Alexandrum Magnum defluxit. Alexander enim illius reſtituendi conſilium inivit; ſed ſummam operi manum imponere, morte præoccupatus, non valuit.

Quodnam molientium Turrim conſilium.

V. Quid conſilii homines agitarent, dum turrim illam ædificare aggreſſi ſunt, juxta id quod & Scriptura inſinuat (*b*), & plures tenent (*c*), ſupra explicatum eſt. Aliis tamen aliter viſum. Nembrodus ſibi propopoſuerat, inquiunt (*a*), tur-

(a) *Strabo l. 16. Arrian. de expedit. Alexand. l. 7.*

(b) *Geneſ. XI. 4.*

(c) *Toſtat. in Joſue, Abenezra, Levi, Ben Gerſon, Salian. ann. Mundi 1509. aliique multi.*

(*a*), turrim adeo ſublimem conſtruere, ut alteri Diluvio ſe poſſet eximere, & in Deum ipſum inſurgens Majorum ſuorum naufragium ulciſci valeret. Quam in rem phraſim ſacri Textûs expendunt: *Turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum*. Difficile tamen creditu eſt, tantam ſibi homines inſaniam perſuaſiſſe; cum præcipuè hoc Scriptura non narret, ſolamque nominis famæque ac mutuæ etiam charitatis augendæ conſervandæque cupiditatem, cauſam fuiſſe afferat; ut nonnulli excuſandi, quin & laudandi illorum conſilium anſam inde arripuerint (*b*). Sed eſto, in conſilio nil fuerit reprehendendum; audaciæ tamen plurimum erat & præſumptionis in re illâ exequendâ; quod linguarum confuſione punitum fuit. Ad hæc, ab altero Diluvio ſibi caventes, nequaquam in humillimo loco, & inundantibus aquis maximè infeſto, qualis eſt provincia Sennaar, ædificium illud conſtruxiſſent. Vero propiùs eſt, Nembrodum cæterorum conſilio abuſum fuiſſe, ut ſcilicet arcem tyrannidis ſuæ præſidium in eâ turri haberet.

Linguarum confuſio maximum miraculum.

VI. Inter maxima prodigia, quæ in Scripturâ narrantur, Linguarum confuſionem referri par eſt. Memoriæ, imaginationis, animi plerorumque hominum inverſio; habitudinem longâ plurium annorum aſſuetudine nutritam delere, ut quæ certâ pronunciandi ratione efferre conſueverant, ea ictu oculi aliis vocibus ſignificarent;

(a) *Joſeph l. 1. Antiq. c. 5.*

(b) *Abenezra, Levi-Ben. Gerſon., Toſtatus.*

carent; id ſanè difficillimum eſt, quod intelligatur. Hoc nihilominus docet Scriptura, cum Babelicam confuſionem deſcribit. Sunt, qui, minorem prodigiorum copiam Divinæ Majeſtatis incremento ſervire arbitrantes, omnem hanc Scripturæ narrationem naturali ratione explicare conentur.

Naturales hujus confuſionis explicationes.

VII. Clericus, qui non linguarum, ſed conſiliorum concordiam agnoſcit in textu illo Moſaico: *Erat terra labii unius, & ſermonum eorumdem* (*a*), in confuſione pariter & diviſione linguarum diſſidium animorum, ac ſententiarum, non verò verborum aut ſermonis agnoſcit. Factum inde autumat, ut inductâ inter homines ſedium & locorum diſcretione, idiomatum quoque diſcrimen, naturâ ipsâ inſinuante, induceretur; quemadmodum ſola ab invicem diſceſſio varias Dialectos in Græcas familias invexit. Alii, S. Gregorium Nyſſenum (*b*) ſecuti, de unico in Mundo vernaculo ſermone dictum illud Moſaicum interpretantes, diſſidium inter homines à Deo permiſſum, dicunt, in causâ fuiſſe, ut inter illos invicem recedentes linguæ mutatio inveheretur, longâ locorum diſtantiâ, & commercii defectu enutrita. Quilibet enim ad arbitrium in vernaculo accepto à parentibus ſermone addendum ſibi aliquid ſuſcepit; quibus deinde

(a) *Geneſ. XI. 1.*

(b) *Greg. Nyſſen. or. 12. contra Eunom. Simon. Hiſtor. Critic. V. 2. l. 1. c. 14. & Reſponſ. ad Theolog. Holand. literâ 19.*

de additamentis tractu temporis magis, magiſque invaleſcentibus factum eſt, ut in varios abiretur ſermones planè diſſitos & diſcrepantes. Porrò duo iſta ſyſtemata, in unum fermè convenientia, omnem prodigii à Scripturâ inſinuati rationem evertunt, nihilque, ſi illa admittas, de linguārum confuſione ad Deum referendum erit, quàm quòd Ipſe Providentiæ ſuæ conſilio diſpoſuerit, ut homines per varia Mundi loca diſpergerentur, varioque pariter aſſueſcerent ſermoni, ad conſuetas naturæ leges, quibus ſanè permittitur, ut quiſque quomodo maximè voluerit, intimos animi ſenſus ſono & voce exprimat. Verùm ſemel hac admiſsá Scripturarum exponendarum ratione, ut ſcilicet evitandorum prodigiorum gratiâ in nova abire ſyſtemata, cum hiſtorico, & literali ſenſu, apertiſſimo licet, pugnantia, ſinguli permittantur, quid ampliùs erit in Sacris Libris aſſertum? Æquiùs de hac re cogitant illi, qui docent, mortalibus Deum proprii idiomatis oblivionem induxiſſe; ex quo factum, ut volentes, conanteſque internos animi conceptus exprimere, alii aliud procuderent idioma. Alii quid ſimile reputantes, malunt, hominum mentibus caliginem quamdam offuſam, variaſque prioris linguæ dialectos cuique à Deo inductas; ex quo contigerit, ut priſtinus ſermo in quibusdam familiis incorruptus perſeveraret, in aliis verò extraneus fieret; ſicut & prioris linguæ dialecti, ab illius puritatem ſervantibus, barbaræ & incognitæ
ha-

haberentur. Verùm pronior Scripturæ ſenſus inſinuat, Deum novâ aliquâ ac fortè etiam multiplici linguâ homines imbuiſſe, vel hominibus in varias familias diviſis, quâ quiſque linguâ uti deberet, conſtituiſſe. Quod explicari poteſt, ſi dicatur, Deum ſummâ illâ, quâ præſtat, virtute diſpoſitas in hominum mente & phantaſiâ rerum ideas in alium ſtatim ordinem transmutaſſe, ut quæ priùs vernaculum ſermonem ſuggerebant, illæ alterum linguæ ſufficerent.

Prima omnium Lingua.

VIII. Sed quænam fuit, & à quo inducta primæva illa lingua, quâ ante Turrim Babelicam promiſcuè utebantur homines? Prophani, quos Creationis hiſtoria latebat, credidere, mortales in variis terræ plagis & ex humo, non ſecus ac cætera animantia, caſu productos, primùm nutibus, ac quibuſdam inconditis ſonìs mentem, cogitationeſque ſuas explicaſſe; tum neceſſitate ac utilitate voces quaſdam excogitaſſe, quibus ſenſa invicem communicarent; & hinc ortam linguarum varietatem, cum eæ ſeorſim invectæ fuerit, nullo vel commercio, vel pacto earum inventoribus inter ſe confœderatis: Nos certò ſcimus, primos homines à Deo loquendi facultate ornatos fuiſſe. Vix enim creati illi ſermone uſi ſunt. Quæ autem à Deo lingua indita fuerit, ambigitur. Honorem hunc alii vindicant Hebraicæ, alii Caldaicæ, alii Syriacæ, Armenicæ, Perſicæ, Synicæ, Teutonicæ, Belgicæ, &c. Eruditorum alii defendunt; primævam illam linguam penitùs extinctam fuiſ-

fuiſſe, fruſtraque inter ſuperſtites hodie linguas indagari. Malunt alii, perſeverare adhuc in linguâ Hebraicâ, cæteriſque matricibus, ſed corruptam adeò ac fœdè dilaceratam, ut raræ tantùm ejus reliquiæ ſcrutantibus ſe ſe offerant agnoſcendas. Potior tamen Criticorum pars favet linguæ Hebraicæ. Admirabilis illa eloquii ſimplicitas, conciſa brevitas, energia, copia, quam exhibet; vetutiſſimis omnibus Orientalibus linguis, quæ agnoſcere illam in parentem videntur, affinitas; ethymologia nominum priſcorum hominum, regionum, fluviorum, Numinum, quæ prona ſe ſe in eo ſermone offert; nomina animantium à ſignificatione in linguâ Hebraicâ non vacua, & exprimentia ſingulorum naturam & indolem, quæ alioqui inanes fermè ſunt voces in cæteris aliarum gentium linguis; hæc, inquam, omnia præjudicatam ferunt ſententiam pro aſſerendo jure principatûs & vetuſtatis linguæ huic ſupra cæteras. Cui etiam illud accedit decoris, ut vetuſtiſſimis & ſanctiſſimis omnium quotquot parent in Mundo, Libris ſerviat. Ad hæc, Noë facilè eodem ſermone utebatur, quo Adamus; quo verò Noë, hoc & poſteri ejus Sem, Arphaxad, Sale, & Heber, qui unâ cum ipſo Noë, dum Turris Babelica conſtrueretur, agebant in vivis. Si Babelica linguarum confuſio in ultionem ſuſcepti temerè ab hominibus conſilii divinitùs immiſſa eſt, non ægrè quidem perſuaderemur, ſicut à crimine, ita etiam à pœnâ immunes fuiſſe Noë, Sem, Arpha-

xad,

xad, Sale & Heber. A' Noë obitu, anno Mundi 2006. notato, biennio, vel circiter natus eſt Abrahamus; quem eodem ſermone uſum fuiſſe, quo ipſius progenitores, ne ambigimus quidem. Porrò ſi Abrahamus eamdem linguam, quam Noë & Adamus, coluit, primævam linguam Hebraicam fuiſſe, certum exploratumque eſt. Hanc autem linguam tantùm in Orbe uſque ad Turrim Babelicam obtinuiſſe, teſtimonio Moyſis liquet: *Erat terra labii unius, & eorumdem ſermonum.* Ad ſententiam Clerici quòd attinet, illi ſanè de ſua ſingularitate præjudicatum eſt; quippe quæ refragatores habet Patres & Interpretes; idemque judicium ferendum de S. Philaſtri ſententiâ, defendente, ſingulos homines, nec ſecus ac Angeli, ante Turrim Babelicam omnes calluiſſe linguas. Sed cum, addit, perduellionis ſpiritu Turrim ædificandam aggrederentur, actutum Linguarum oblivione multati ſunt (*a*).

Unde lingua Hebræa nomen acceperit?

IX. Sed unde prima illa lingua à Deo hominibus indita, uſuque Patriarcharum & Prophetarum ſacra, obtinuit, ut Hebræa appellaretur? Plures ſanè Scriptores docent, quod & à nobis inſinuatum eſt, primam linguam in familiis quibusdam, turris ædificandæ crimine vacuis, perſeveraſſe, ſortemque hanc Heber, Abrahami progenitori, contigiſſe; ex quo Hebræa dicta. Contrariæ tamen opinionis aſſertores, qui nec pau-

(a) *Philaſtr. hær. 56.*

pauci, nec ſpernendæ ſunt eruditionis (*a*), reponunt, gratis omninò familiam unius Heber à communi crimine eximi, tantumque honorem vel nemini dandum, vel Semo etiam, Arphaxad, & Sale non invidendum. Addunt, uſum Hebraicæ linguæ apud eas gentes etiam obtinuiſſe, quibus nulla erat cum familiâ Heber conſuetudo, uti apud Phenices, Chananæos, Syros, Philiſtæos, Ægyptios, quibuscum Abrahamus ex Meſopotamiâ veniens mutua colloquia miſcebat, & ſine interprete, quantum apparet. Non igitur ejus linguæ privilegium apud unam familiam Heber manſit. Ex quo igitur Linguam illam Hebraicam appellari contigit? An ex eo fortè, quòd gentes trans Euphratem illâ uterentur? Prorſus hæc quidem; nam & cognomen Hebræi Abrahamo datum ex transmigratione ipſius ex regione trans Euphratem in Chanaanitidem derivandum videtur; ut Hebræus idem primitùs ſonuerit, ac vir, qui è regione tranſeuphrateâ transmigravit. *Heber* enim Hebraicè eſt *ultra*, ſive *tranſitus*. Nec ratione ullâ convincimur, cur ex omnibus progenitoribus Abrahami Heber potiſſimum ipſi nomen inderet. Neque enim Heber ullâ geſtarum rerum memoriâ in Scripturâ innoteſcit. Accedit, quòd Abrahamus duobus tantùm annis poſt transmi-

(a) *Hieronym. S. Joan. Chryſoſt. African. Origen. Theodoret. Burgen. Eſtius, Arias Montan. P. Alexand. Joſephus Scaliger, Grotius, Gerardus Voſſius, Valtonus.*

grationem in Chanaanitidem primò Hebræus appellatus occurrat (*a*) Septuaginta & Aquila Hebræum *Heberi* reddunt *tranſitorem*, *transmigrantem*. Nec deſunt hujus rei exempla. Dicuntur *Tranſalpini*, qui veniunt ex provinciis trans alpes conſtitutis. Rex quidam Galliæ, aliquo temporis ſpatio moratus in Anglia, nomen adeptus eſt *Ludovici Transmarini*. Hæc ſanè nonniſi veriſimillimè dicuntur; cum tamen ſciamus, uſum illius linguæ ſe ſe non continuiſſe in transfluvialibus, ſed & citra Euphratem in Chanaanitide obtinuiſſe, nomen Linguæ Hebraicæ ex eo potiſſimùm accerſeretur, quòd apud Hebræos poſteros Abrahami, qui *Transfluvialis* appellabatur, obtineret, quin & in ſuà puritate diutiùs perſeveraſſet; quàm quòd vernacula eſſet Gentium transfluvialium, quæ à familiâ Heber erant alienæ (*b*). Textus tamen Scripturæ noſtra ætate genuinus, & qui vetus Hebraica Scriptura habetur, dialecto potiùs Chaldæa exaratus eſt. Veri Hebræorum Characteres in Pentateucho Samaritano extant (*c*).

Linguarum numerus ex confuſione Babelicâ. X. Nova hìc reparatur quæſtio de numero linguarum à confuſione Babelicâ prodeuntium. Numerum ſeptuaginta linguarum exprimunt quidam ex totidem recenſitis à Moyſe poſteris Noë, quibus omnes gentes originem ſuam acceptam

ceptam

(a) *Geneſ. XIV.* 13. Heber.

(b) *Calmet in Geneſ. X.* 24. *& Diction. v.*

(c) *Vide infra l.* 4. *c.* 15. *num.* 3.

ceptam referunt (*a*). Quibus perſuaſum eſt, Arphaxad, Sale, & Geber alienos fuiſſe à communi terræ ædificandæ conſilio, numerum 70. reformant ad 67. Sed & corradendum etiam plurimum ſuadent Jectan filius Heber, & nati ex eo treſdecim filii, quos non immeritò editos crederemus poſt tempus conſtructæ turris Babelicæ. Probantur quibuſdam tres tantùm matrices linguæ pro tribus matricibus familiis Sem, Cham, & Japhet. Ut verum fateamur, prior numerus 70. Linguarum immodicus eſt, nec ad confuſionem Babelicam inducendam neceſſarius. Poſterior autem trium linguarum, ex adverſo nimis contractus eſt, & ad arbitrium invectus. Nonnullis linguæ cæterarum matres ſunt Hebraica, Græca, Latina, Sclavonica, Tartara, Teutonica, Sinica, & Perſica. Sunt tandem qui numerent in Scripturâ 20. diſſitas linguas, quas etiam fortaſſe plures crederemus, quàm quæ reipsâ è confuſione Babelicâ reſultarunt.

Poſteri Noë, ex quibus Gentes omnes propagatæ ſunt.

CAP. XII.

I. SEptuaginta & unus numerantur poſteri Noë, ſcilicet 14. ex Japhet, 31. ex Cham, & 26. ex Sem, totidem populorum, ſeu Gentium capita, & fontes; niſi tamen quidam *Poſterorum Noë numerus.*

M 2

(a) *Geneſ. X.*

dam ex illis ſine liberis deceſſerit, vel unius familia in unum cum aliâ quâpiam coaluerit: Moyſes cum Hebræis potiſſimum ſcriberet, genealogiam Semi per Heber, à quo illi orti ſunt, longiùs deducit. Fuſior eſt etiam in digerendâ genealogiâ Chus, filii Cham, quod Nembrodus ejus filius Aſſyrium Regnum, ætate Moyſis florentiſſimum, conſtituerit.

Regulæ attendendæ. II. In quærendis regionibus, quas Noë poſteri frequentarunt, hæc præ oculis habenda: I, Plura ex priſcis nominibus corrupta ſunt maximè, atque degenerata interdum adeo, ut veteris nominis vel in veteribus Scriptoribus vix levia quædam ſuperſint veſtigia. Quare loco monſtri habendum non erit, ſi multa non documentis certis, ſed probabilibus tantùm ſuffulta conjecturis, proponentur, ſatiſque habendum, ſi præter propter locorum ſitus deſignetur. II, Non ſemper Moyſes nomen expreſſit prioris illius hominis, qui regionem, cujus meminit, frequentavit; ſed potiùs adnotandum ſibi duxit nomen genti cuidam, ſive regioni, à viro illo, aut ab alio impoſitum. Misraim, Ludim, Citthim, aliaque hujuſmodi, cum pluralia ſint nomina, ab unius ſingularis viri appellatione utique abhorrent. III, Quærendi quidem poſteri Japheti in Europâ, Chami in Africâ, Semi in Aſiâ; non ita tamen, quaſi è tribus hiſce fratribus filii, nepoteſque nonniſi intra tres illas aſſignatas Patribus ſuis portiones loca habuiſſe cenſeantur. Conſtat enim plures è

filiis

filiis Japheti & Chami regiones in Aſiâ frequentaſſe. Quin propius vero eſt, primas familias primas ſedes in his regionibus, ante Turrim Babelicam conſtitutas, non deſeruiſſe: poſt illud tempus tantummodò dividi cœptæ ſunt, miſſis per Africam & Europam coloniis, prout familiæ quælibet augebantur; factumque proinde, ut Gentium poſt confuſionem linguarum diſperſio ſenſim & intra longum temporis ſpatium tota conficeretur; quamvis Moyſes per quamdam anticipationem Turris Babelicæ conſtructioni illam præpoſuerit. IV, Nihil conducibilius hac in re, quàm apud veteres Geographos, Scriptoreſque reliquos nomina quærere illis affinia, quæ Moyſes deſignat. Cum verò nomen aliquod certi alicujus Patriarchæ aut familiæ invenerimus, eo utendum erit, quaſi quâdam face & indicio, quærendis aliis ejus familiæ in vicinis regionibus; vix enim perſuaderemur, colonias primùm longiùs deduci potuiſſe. V, Continens priùs Inſulis, ſicut & regiones ſalubriores, fœcundioreſque ante contrarias alias frequentari cœperunt. VI, Non omnes in medium adducemus opiniones, quibus inter ſe diſcrepant Authores in aſſignandis populis; ſed quæ celebriores ſunt, magiſque obtinent.

III. Japheto nati ſunt ſeptem filii, Gomer, Magog, Madai, Javan, Thubal, Moſoch, & Thyras. Octavus, nomine Eliza, occurrit apud Septuaginta, & quoſdam alios, in Hebræo, Samaritano, & Vulgatâ fruſtra quærendus. Ara- *Japheti Filii.*

 bes

bes addunt & nonum, quem Cozar appellant: Verùm Hebræi illum faciunt non filium, ſed nepotem Japheti, ex Thogormâ ſcilicet Gomeri filio.

Gomer. IV. Gomer Joſephus tribuit Galatiam; vetuſtis enim ejus regionis incolis nomen inditum erat *Gomarenſium*, antequam à Galatis regio ſubmitteretur. Bochartus mavult Phrygiam, quòd eadem fermè ſit nominis Græci Phrygia ſignificatio, ac Hebræi Gomer; utrumque enim ſonat *Carbonem*. Calmetus è Gomer *Cimmer*, vel *Cimber* accerſit. An Cimmerii, veteres Cherſoneſi Tauricæ incolæ, è Cimbris originem duxerint, vel potiùs Cimbri è Cimmeriis, ignotum: E' Cimbris Germani, è Germanis verò Galli repetuntur.

Magog. V. Joſephus, Theodoretus, S. Hieronymus, & Recentiorum plures Scytharum Patrem ſtatuunt Magog. Scytharum nomen apud Græcos (*a*) inditum eſt populis omnibus ad Septemtrionem Ponti Euxini. Quare Scythas audiebant Getæ, Meſſagetæ, Gothi, Sarmatæ, Arimaſpi, Sacæ, Tartari. Facilè his omnibus una eademque fuit origo. E' Magog *Gog*, è Gog verò *Gothus* ſuâ ſponte fluit. Porrò Gothi habebant ſedes ad Boriſthenem & ad oſtia Danubii. Ibi verò in duas gentes diſpeſcebantur, in Oſtrogothos, nempe Gothos Orientales, & Viſigothos, ſcilicet Gothos Occidentales; alios planè illos utroſque a Gothis Sveviæ; quibus ta-

(a) *Strabo l. XI.*

tamen omnibus à principio idem author, eædemque ſedes eſſe poterant. Magnæ Tartariæ incolæ priſcis temporibus *Mogli* dicebantur. In eâdem regione notantur provinciæ *Lug*, & *Mungug*. Superſunt & alia veſtigia Gog & Magog apud illas gentes, qui originem ſuam hinc repetendam, certâ tenent traditione (*a*). Quæ ab Ezechiele (*b*) aſſignantur Gog dotes, conveniunt Tartaris, viris omnium in tractandis equis, atque in ejaculatione expertiſſimis. Bochartus Gog conſtituit in circumjacenti ad Caucaſum regione. Montis illius nomen deducit è *Gog Caſan*, Gog Arx. Probat autem, Prometheum, virum illum in fabulis notum, in Caucaſo ab Jove alligatum, ipſiſſimum eſſe Gog, quem Aſſur devicerit: In Iberiâ ad meridiem Caucaſi erat Gogarena (*c*); nomine planè è Gog deducto. Suidas tandem & Cedrenus aſſerunt, Perſas appellari Magog ab incolis ejus regionis. Notum ſanè eſt apud illas gentes Magorum nomen. Deducerentur hæc omnia non incongruè è Magog, cujus gentis coloniæ nomen cum incolis in varia loca traduxerint. Utcunque res habeat ſe ſe, Gog Moyſes non meminit. Verùm Ezechiel & Joannes virum illum cum Magog conjungunt (*d*); qui tamen proverbii loco facilè id no-

M 4

(a) *Marc. Paul. Venet. l.* 1. *c.* 6. *& l.* 2. *c.* 46. 49. 52. 66.

(b) *Ezechiel.* XXXVIII. 2.

(c) *Strabo, & Ptolomæus.*

(d) *Ezechiel.* XXXVIII. 2. *&* XXXIX. 1. *Apoc.* XX. 7.

hominum uſurpant, barbaris & infidelibus; qui Deum ejuſque Eccleſiam oppugnant, indicandis.

Madai. VI. Madai Medorum Pater ab Interpretibus ferè omnibus deſignatur. Verùm ea regio nimium à cæteris filiorum Japhet regionibus diſtat; neque ſub *Inſularum Gentium* nomine, quas Japhetidas frequentaſſe, Moyſes teſtatur (*a*), cenſeri poteſt. Quamobrem Salianus, Calmetus, Joſephus Medus, aliique huic viro Macedoniam tribuere malunt. Macedonia enim alio nomine Æmathia appellatur; quod ex Hebræo *Ei*, Inſula, & *Madai* derivant, redduntque Inſulam, ſive Terram Madai. Porrò circa illam regionem populi Mædi, ſive Madi occurrebant (*b*). Nomen Mediæ, regioni trans Euphratem, non ante Medeæ & expeditionis Argonautarum in Colchidem tempora inditum videtur (*c*).

Javan. VII. De Javan ſatis convenit inter Scriptores, uno aſſenſu Jonios illi adſcribentes, eos ſcilicet, qui Græciam, ſingulari nomine dictam, Inſulas, & Aſiam minorem tenebant, quive Jonii propiè appellabantur; nam hoc nomen olim ad Macedoniam quoque, Atticam, Bæotiam, & Achajam extendebatur.

Thubal. VIII. Thubal cum Moſoch, ſive Meſech, ut habet Hebræus, plerumque jungit Scriptura (*a*); quod

(a) *Geneſ. X. 5.*

(b) *Ariſt. de Mirab. auſcul. Ptolom. c. 10. tab. 9. Europ.*

(c) *Strabo l. XI. & l. 1. pag. 36.*

(*a*); quod argumento eſt, utroſque populos regiones incoluiſſe finitimas, & rerum habuiſſe inter ſe communionem. Significatos autem Italiæ, & Aſiæ, ſive potiùs Auſoniæ populos Interpretes Chaldæi ſcripſerunt. Joſephus mavult Iberos, & Cappadoces, illos quondam Jobelos, hos verò Meſchinos appellatos. Bochartus Tibarenos & Moſchos, inter Iberiam, & Armeniam populos, indicatos ſtatuit. Montano, Genebrardo, Mercero, & Calmeto Moſoch pater eſt Moſchovitarum; cujus rei non ſpernenda ſunt argumenta amnis Moſchus, Urbs Moſcou, nomen Moſcovitarum, & regionis amplitudo. Ex Moſchovitis facilè Moſchi deſcendunt; quamvis nonnulli contraria omnia opinentur. Ruſſi apud Ezechielem nomine *Roſch* deſignati, populi ſunt vel cum Moſchovitis mixti, vel in unam cum illis gentem coaleſcentes; in quorum regione & Urbs, & amnis præferunt nomen Thubal, vel Thobal. Tandem S. Hieronymus in Thubal Hiſpanos, Sinas verò Arabs, indicatos putant.

IX. Thiras pater eſt Thracum, ut fert communis ſententia. Græcum ſanè Thrax, ſicut & vetus Thraciæ nomen Odryſe, ad Hebræum Thiras ſatis accedunt. Cùm tamen Thraces Thiræ poſteri aſſeruntur, nomen illud latè accipiendum eſt, non intra eos tantùm redactum fines, qui Thraciæ provinciam determinant; quæ ſanè *Thiras.*

(a) *Ezechiel XXVII.* 2. *XXXIX.* 1. 3. *XXXII.* 26. *XXXVIII.*

ſanè regio Moyſis ætate nondum facilè nomen illud obtinebat; ſed extendendum etiam ad Septentrionem ultra Danubium, & ad Scytharum fines; ubi fluvius Thiras, quem vulgò dicimus Nieſter, ſeu Turla excurrit, ſedeſque olim habebant Agathyrſi (*a*).

Gomer filii. Aſchenez. X. Gomer Japheti filius Aſchenez, Riphat, & Thogorma procreavit. Aſcherez regionem aſſignat Bochartus in Phrygiâ, quam patri illius Gomero ceſſiſſe putavit; ubi Urbs & Inſulæ Aſcaniæ. Qui verò Gomer Cimmeriorum authorem volunt, Aſchenez Aſcantum ad Tanaim & paludem Mæotidem regionem (*b*) tribuunt; quod cum Jeremiâ quadrat, Aſchenez cum Minni, & Ararat (*c*), populis Armeniam tenentibus, jungente.

Riphat. XI. Quam potiſſimùm regionem frequentaverit Riphat, diſquiritur. Bochartus poſt Joſephum pro Paphlagoniâ certat. Olim ſanè Paphlagones Riphatæi, ſive Riphaces dicebantur (*d*). Alii ſtant pro montibus Riphæis; quamquam eos nullibi fuiſſe contendat idem Bochartus. Sed eorum veritas agnoſcitur ab omnibus veteribus Geographis, & Recentioribus pleriſque, montes illos conſtituentibus in Moſcoviâ non longè ab amnibus Obdorâ, & Oby, in finibus Aſiæ & Tartariæ deſertæ.

Thogorma. XII. Thogorma, ultimum Gomeri filium,

Cap-

(a) *Herodot. l.* 4.
(b) *Plin. l.* 11. *c.*7.
(c) *Jerem. XXI.* 27.
(d) *Pompon. Mela l.* 1.

Cappadocum authorem ſtatuit Bochartus, eo fretus argumento, quòd Ezechiel (*a*) è Thogorma equos & mulos ad nundinas Tyri accerſat. Cappadoces autem eo animalium genere abundaſſe, oſtendit. Alii Thogorma in Turcomaniâ in Sarmatiâ, ſive Scythiâ Aſiaticâ conſtituunt. Inter duo nomina Thogorma, & Turcomania affinitatis eſt plurimum. Scythæ è Targitao, Jovis filio, qui cum Thogorma confundendus videtur, originem ſe ducere, narrabant (*b*). Sauromatæ, Scytharum pars, è quibus Turcæ orti creduntur, à Thogorma non abludunt, ſi juxta Chaldaicam dialectum pronuncietur Tauromatæ.

XIII. Javan filios habuit Eliſa, Tharſis, Cetthim, & Dodanim. In Peloponneſo eſt Elis vetuſtiſſima & ampliſſima regio, cujus portio apud Homerum eſt *Aliſium*. Hìc poſteri Eliſa quærendi. Purpuræ ad Tyri nundinas ab Eliſiis mercatoribus devectæ, meminit Ezechiel (*c*). Non rarò autem occurrit apud antiquos purpura Laconica. Pòrrò Laconica non minùs quàm Elis, eſt in Peloponneſo. *Javan filii Eliſa.*

XIV. Tharſis, vel ex ejus poſteris quiſpiam, Tharſum Ciliciæ urbem condidiſſe, ſuoque nomine totam provinciam appellaſſe, creditur. Plures tamen ex Interpretibus Tharſis conſtituunt Carthaginienſium authorem; quam quidem *Tharſis.*

(a) *Ezechiel XXVII*, 14.
(b) *Herodot. l. 4. c. 5.*
(c) *Ezechiel XXVII. 7.*

dem opinionem Vulgata defendit (*a*). Bochartus, Euſebium ſecutus, Tharſis nomine Tarteſſum, Inſulam & Urbem in freto Gaditano, maximè negotioſam, deſignari putat, ex eoque viro Hiſpanos deducit. Fortè Tharſo Ciliciæ ſolvens Tharſis venit in Africam, ubi Carthago; indeque colonias in Hiſpaniam deduxit.

Cetthim. XV. Cetthim juxta alios Macedonum, juxta alios Italorum eſt author. Priori ſententiæ, quam Calmetus tuetur, author primi Libri Macchabæorum ſuffragatur, Alexandrum & Perſeum Macedoniæ Reges, *Cithæorum* Reges appellans (*b*). Verùm contraria opinio, à Bocharto defenſa, authoritate Danielis, præ altero vetuſtioris, fulcitur. Narrat enim, poſteriorem Antiochi in Ægyptum expeditionem eventu caruiſſe, priorique diſſimilem fuiſſe, quòd ſupervenientibus navibus *Cethim*, re infectâ, diſcedere coactus ſit. Porrò naves illæ erant Romanorum, ſub Cajo Popilio adversùs Antiochum ductæ (*c*). Deduceretur autem nomen *Latium* ex Arabico *Ketim*, quod ſonat latens; quam etiam ſignificationem præferre Latium, neminem fugit. Erat tandem in Italiâ urbs *Cetia* (*d*). An & hìc ad duplex Cetthim iter confugiendum, ut dicamus, virum primò in Macedo-

(a) *Ezechiel XXVII.* 12.

(b) 1. *Macch. I.* 1. *&* *VIII.* 5.

(c) *Daniel X.* 30. *Livius l.* 45. *c.* 10.

(d) *Dionyſ. Halicarnaſ. l.* 8. *Plutarch. in Coriolano.*

doniâ ſubſtitiſſe, in Italiam deinde fuiſſe progreſſum? Ut ut ſit, mirum eſt, P. Calmetum nunc ex Cetthim Macedonas accerſere, quos ex Madai jam deduxerat.

XVI. Qui dodanim pronunciant Rodanim, ut eſt in Libro Paralipomenon & Samaritano, Rodium Inſulam virum incoluiſſe putant. Bochartus, qui Rodiorum nomen Moyſe recentius cenſet, Rodanim locum in Galliâ ad Rodani oſtia conſtituit, ubi Urbs Rodanuſia (*a*) Rothomagum in Galliâ eſt Rhodumna Seguſiorum. Qui Dodanim juxta Hebræum præferunt, ad celeberrimum oraculum, amnem, & urbem *Dodonam* in modicâ ejus nominis provinciâ, Epiri portione confugiunt. Porrò popoli Dodonæi inter vetuſtiſſimos Græciæ populos locum vindicant (*b*). Ferunt autem, oraculum Dodonæum ita reſponſa ſua dediſſe, ut ſcilicet ſubito quodam vento ſuſpenſa in aëre ahena inter ſe agitarentur, comploderenturque; atque editus ex iis ſonus, Deorum voluntatem reddebat. Hebræum *Dod*, unde Dodanim, ſive Dadanim, exprimit interdum ahenum. An Titanes è poſteris Dodanim, ut quidam volunt, aſſerendi ſint, ambigitur. Nomen ſanè Titanim ad Dodanim ſatis accedit. *Dodanim.*

XVII. Hucuſque de Filiis, Nepotibuſque Japheti, quibus *Inſulas Gentium* ceſſiſſe, narrat Moyſes: Inſularum autem Gentium nomine deſignan- *Quid Inſulæ Gentium.*

(a) *Marcion. Haracleonta & Stephanus.*

(b) *Homer. Odyſſ. T. II. & Iliad. II.*

gnantur Inſulæ & regiones à continenti Palæſtinæ avulſæ, uti Hiſpania, Gallia, Italia, Græcia, Aſia Minor; quo tantummodò Mari Hebræis acceſſus erat. Porrò hæc interpretatio quadrat quidem cum Bocharti de diſperſione Gentium in varias regiones ſyſtemate; ſed vix conciliaretur cum Calmeto, qui anguſtiores fines diſperſioni, à Moyſe deſcriptæ, aſſignat, reputans, Græcos nonniſi feriùs ſedes ſuas in Inſulis Mediterranei, in Aſiâ minori, in Italiâ, in iis Galliarum Hiſpaniarumque regionibus, quas Mediterraneum alluit, fixiſſe. Quare juxta hunc Authorem Moſaicus textus de vicinioribus Gentium inſulis explicandus eſt.

Chami filii. XVIII. Cham quatuor filios habuit, Chus, Misraim, Pluth, & Chanaan. Quamvis autem Cham univerſam Africam ſortitus ſit, ſedes tamen ſuas habuit in Ægypto; ubi nominis illius veſtigia plura reperias. Ægyptus nomine *Cham* in Pſalmis non ſemel deſignatur (*a*). Eadem regio apud Plutarchum dicitur *Chemia* (*b*). Inter Nomos Ægypti *Chemmis*, *Pſochemmis*, *Pſittachemmis*. Poſt obitum Cham in Ammonem, numen apud illam regionem clarum, conſecratum fuit (*c*).

Chus. XIX. Veteres novique Interpretes nomen Chus, ut plurimùm, Æthiopiam vertunt. Tres au-

(a) *Pſal. LXXVII.* 51. *CIV.* 23. *&* 27. *CV.* 22.

(b) *Plutarch. de Iſide & Oſiride.*

(c) *Vide ſupra hanc Hiſtor. l.* 1. *c.* 10. *num.* 13.

autem aſſignari poſſunt Æthiopiæ. Primam Araxes alluit (*a*); altera eſt ſupra & ad meridiem Ægypti, quam omnes agnoſcunt; tertia denique eam Arabiæ portionem tenet, quæ per littus orientale Erythræi, Nomum ſive Præfecturam Arabicam & Ægyptum inferiorem excurrit. Hunc autem terræ tractum plerumque deſignat Scriptura, cum meminit Terræ Chus, ſive Æthiopiæ. Sephora, Moyſis uxor, Chuſitis, ſive Æthiopiſſa dicta, hinc ſuam ducebat originem (*b*). Fortè unus idemque Chus ſolum ſubinde mutavit; fortè etiam præter Chus, à Scripturâ memoratum, alii fuerunt, quos eâdem Scripturâ ſilente ignoramus.

XX. Omnium conſenſu Misraim ſunt Ægyptii, vel Ægyptiorum regio. Cum enim plurale ſit nomen, non poteſt de uno ſingulari homine uſurpari. Non incongruè autem tribueretur duabus Ægyptis, ſuperiori, & inferiori, portioni ſcilicet meridionali, Æthiopiam versùs excurrenti, & ſeptemtrionali, ad Mediterraneum porrectæ; vel duplici Ægypti parti, infra & ultra Nilum. Inter filios Chami ille, cui Ægyptus contigit, appellatus eſt facilè *Mazor*, vel *Mezor*. Menſium omnium primus in veteri Kalendario Ægyptio *Meſori* adſcribitur. Cairum, inferioris Ægypti metropolim, *Mezer* hodie Arabes appellant. Hinc Ægypto nomen Misraim datum. Ea pariter regio interdum in Scriptura eſt *Rahab* (*a*); quam- *Misraim.*

(a) *Vide ſupra l.* 1. *c.* 3. *num.* 5.

(b) *Numer. XII.* 1.

(a); quamquam id ſibi nominis peculiariùs vindicaret Delta, Ægypti portio, olim ab incolis dicta *Rib* (b), ſcilicet Pyrus, formæ, quam refert, gratiâ. Ægyptus, ex quo regioni nomen inditum, illic regnaſſe dicitur. Filius erat Amenophis, qui fugientibus Iſraëlitis aquis abſortus eſt; fratrem autem habuit Armaidem, alio nomine Danaum, qui expulsus è Regno in Græciam ſucceſſit.

Pluth. XXI. Nominis Phuth veſtigia per Ægyptum audiuntur, Lybiam versùs, ubi Nomus *Phtemphu* apud Plinium, & *Phtemphuti* apud Ptolomæum. Extra Ægyptum in Marmarica eſt *Pthia* portus; urbs *Putea* vel *Pluth*, juxta Adrumetum: amnis *Phuth*, regioque *Phutenſis* in Mauritaniâ (c).

Chanaan, cujus poſteri non rarò Phænices appellantur. De illo viro fabula. XXII. Chanaan regionem coluit, in quâ viri nomen manſit, donec Iſraelitis Duce Joſue, cedere coacta, regionis Iſraelitarum, Judæorum, & Hebræorum nomen obtinuit. Appellata etiam fuit Palæſtina, Terra Sancta, Terra Promiſſionis. Porrò Chananæi patris nomen abjicientes, *Syri*, *Sidonii*, & frequentiùs *Phænices* appellari maluerunt; facilè quòd probro ſibi ducerent viri, diris à Noë devoti, nomen referre. Etymon Phœnicis ſive ex Palmis, Græcè *Phoinix* dictis, quibus regio abundabat; ſive ex viro illo Ty-

(a) *Pſal. LXXXI.* 14. *LXXVIII.* 11. *Iſ. LI.* 9.
(b) *Horus Hieroglyph. l.* 1. *c.* 7. *Mag. Etymologic.*
(c) *Ptolomæus*, *Plinius*, *Joſephus*, *Euſeb. Hieronym.*

lo Tyrio, cui nomen *Phœnix*, ut eſt in fabulis; ſive tandem ex Mari Rubro derivandum eſt. Phœnix enim interdum rubrum ſignificat; unde *Puniceus*, & *Phœniceus*. Veterum autem nonnulli autumarunt, Phœnices in regionem veniſſe è littore Maris Rubri (*a*). Quod ſanè authoritati Moyſis congruit, eos populos derivantis ex Cham, Ægyptiorum ad Mare Rubrum authore. Reputat Uſſerius, Phœnices è Mari Rubro ipſos eſſe Paſtores, ſive Jeſſos, qui poſt obtentum diù in Ægypto Regnum, inde pulſi in Phœniciam venerint (*b*). Bochartus nominis Phœnicii etymon derivat ex *Ben-Anachim*, filio Anachim, ſive Enacim; quaſi quòd nomen ſibi adſciverint Filiorum Enach, viri inclyti, & Gigantum illius regionis parente. Chanaan in Palæſtinâ obiiſſe creditur; cujus ſepulchrum in cavernâ montis Pardorum non longè ab Jeruſalem, 25. pedum ſpatium occupans, oſtendebatur (*c*). Porrò quæ de Ægyptiorum Adonide refert fabula, viro illi adamuſſim conveniunt. Myrra habens in comitatu Adonidem filium ſuum, reſolutum in ſomnum Cyniram ſub tentorio, nudumque & inverecundâ corporis habitudine offendens, rem totam detulit ad Hammonem conjugem ſuum; qui unâ cum monitis à ſe fratribus te-

(a) *Herodot. l.1.c.1. Juſtin. l. 18. Diodor. l.16. Strabo l.1.*

(b) *Vide infra l.2. c.11.n.7.*

(c) *Calmet. Dictioni V. Chanaan.*

gumento aliquo viri nuda protexit, ne evigilans è ſomno de probro ſuo erubeſceret. Factus omnium certior Cyniras, diris Adonidem devovit, & in Arabiam uſque inſecutus eſt Myrram, quæ tandem in arborem talis nominis transformatus eſt. Adonis verò ab Iſide uxore ſuâ conſecrata fuit. Maximè autem Chanaan refert Græcorum Mercurium. Hic enim legatione à Diis fungebatur ſerviebatque Numinibus cæteris, uti Chanaan fratribus ſuis. Mercurium tutelare Numen habebant Negotiatores, Itinerantes, Fures, viri literis exculti. Chanaan Patrem habebant Phœnices, negociationi præ cæteris addicti, qui longis & frequentibus itineribus ſuis inclytum ſibi nomen pepererunt; & quo tempore prædandi ars minori erat, quàm nunc probro, pyraticam ſecundùm maris littora exercebant. Inventarum tandem literarum & ſcribendi artis habebantur authores.

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris (a).

Chanaan Filii. XXIII. Chanaan magnæ poſteritatis pater fuit, filioſque habuit præter Sidonem, natu maximum, qui Sidoni Phœnicum metropoli originem dedit, alios decem, Hethæum, Jebuſæum, Amorrhæum, Gergeſæum, Hevæum, Aracæum, Sinæum, Aradium, Samaræum, & Amathæum; quibus omnibus paterna regio con-

(a) *Lucanus l.3.*

contigit, cujus confinia ſunt in quatuor urbibus, Sidone, Gazâ, Sodomâ, & Lezâ (*a*), quæ creditur Lais, poſtea Cæſarea Philippi dicta. Deſcriptio tamen iſta minor eſt, quàm ut totam Promiſſionis terram complectatur; iiſque tantùm regionibus congruit, quas potiſſimum Chananæorum generes tenebant (*b*).

Hethæi igitur circa Hebron & Berſabee in montibus meridionalibus Chanaanitidis collocantur.

Jebuſæi Jeruſalem & proxima loca tenebant; gens maximè bellicoſa, quam penitùs è Jeruſalem depellere nonniſi ſub Davidis Regno Hebræi valuerunt (*c*).

Amorrhæi montes ad occidentem Maris Mortui frequentabant. Inde ultra Jordanem excurrentes (*d*), ſedes conſtituerunt circa montes Abarim intra torrentes Arnon & Jabok in veteri Moabitarum, & Ammonitarum regione.

Gergeſæi erant ad orientem Maris Tiberiadis, facilè ubi urbes Gerara & Gedara.

Hevæi regionem illam tenebant, quam poſtea occuparunt Philiſtæi ex Caphtorim deducti (*e*). Circa montes etiam Hebal & Garizim Hevæos fuiſſe, ex illo intelligimus, quòd

 Si-

(a) *Gen.X.* 19.
(b) *Vide Diſſert.Calmeti in Tab. Geograph. Palæſtinæ.*
(c) 2.*Reg.V.*9.
(d) *Numer.XIII.* 30. *XXI.* 29. *Joſ.V.* 1.
(e) *Deuter. II.* 23. *Joſ.XIII.* 4.

Sichim & Gabarnis urbium incolæ Hevæi cenſerentur. Neque in Transiordanicis ad radices montis Hermon defuerunt (*a*).

Aracæis ceſſit Urbs & adjacens regio Aræe, vel Arca ad Libani radices.

Sinæi erant & ipſi in viciniis Libani; quorum Urbs Sin bellorum injuriâ penitùs everſa, ſolo tantùm nomen reliquit (*b*).

Aradii Urbem & Inſulam Aradum in Mediterraneo, lateribus Phœniciæ adjacentem, contra Antaradum urbem continentis, poſſederunt.

Samaræorum urbs erat Simyra, ſi Euſebium audias. De Simyrâ ad Phœniciæ oras, juxta Orthoſiam, loquuntur Plinius, Mela, & Stephanus.

Amathæi Hemoth & proxima loca tenebant. Cenſent autem plerique, Hemath ipſiſſimam eſſe Antiochiam, non inclytam illam Syriæ Metropolim, ſed alteram, quam poſtea Epiphaniam dixerunt. Alii præferunt Emeſam ad Orontem.

En gentes, quæ originem ſuam ex Chanaan filiis referunt. In cenſum populorum Chanaanitidis referuntur quandoque, hìc omiſſi, *Pherezæi*, *Cinæi*, *Cenizæi*, *Cadmonæi*; quorum origo non facilè exponeretur. Pherezæi ſignificant homines agreſtes, cum gregibus ſuis erraticam ducentes vitam, nullas habentes ſedes conſtitutas. Cinæi ſedes habebant ad Oc-

ci-

(a) *Joſ.XI.* 3. (b) *Hieronym.qq.Hebr.*

cidentem Maris mortui (*a*). Cenizæi facilè deleti ſunt, aut confuſi cum aliis eo temporis ſpatio, quod fluxit inter Abrahamum, & Moyſem; altum eſt enim ſilentium de illis poſt Abrahamum. Cadmonæi, hoc eſt, Orientales, ſunt Hevæi montis Hermon.

XXIV. Chus filio Chami, nati ſunt Saba, Hevila, Sabatha, Regma, Sabathaca & Nembrod; ex quibus Regma filios habuit Saba & Dadan. Porrò filiis & nepotibus Chus paternam hæreditatem ceſſiſſe, certum eſt. Difficile autem eſſet, propriam ſingulorum aſſignare portionem. Nembrodus tamen cum aliis confundi non poteſt. *Chus filii.*

XXV. Cum igitur poſteri Noë alii aliò transmigrarent, Nembrodus ſolus manſit in loco, ubi Turris Babelica ſuccrevit. Vir fuit maximè violentus, qui priſtinâ ſimplicique, quæ Patresfamilias decet, politiæ formâ variatâ, tyrannidem in Mundum invexit. Prorogatâ enim venatoriâ à feris ad homines, plurimos ex illis cœpit, interfecit plurimos, plurimos etiam ad robur majeſtatemque novi Imperii, quod fundabat, reſervavit. Hinc proverbium. *Quaſi Nembrod robuſtus venator coram Domino* (*b*). Fruſtra autem ex Rabbinis Abenezra & Kimchi, quos ſequitur Grotius, de virtute & religione viri dictum illud exponunt, quaſi ſcilicet venatu apprehenſas prædas *Nembrod.*

 in

(a) *Vide infra l. 3. c. 12. n. 3.*

(b) *Geneſ. X. 9.*

in victimas & oblationes Deo offerret. Illud enim; *coram Domino*; tantumdem ſonat, ac *contra Dominum* (*a*). Quod non parùm ſanè promovet vulgaris opinio, cultum ſcilicet Divinum, qui hominibus exhibetur, à Nembrodo primùm fuiſſe adinventum; quò etiam ſpectat ipſum nomen Nembrod, quod *rebellem* ſonat.

Nembrod Regnum Babyloniorum, & Chaldæorum conſtituit; facilè & Assyriorum.

XXVI. Scribit Moyſes, principium Regni Nembrodi fuiſſe Babylonem (*b*) in terrâ Sennaar. Sennaar meridionalem Meſopotamiæ partem occupaſſe, ſatis ſuperque conſtat. Ad Babylonem quod ſpectat, non convenit. Marſhamus cenſet, Babylonem hìc non urbem ejus nominis deſignari, ſed provinciam, in quâ temporis tractu Urbs illa condita fuerit. Urbem enim Babylonem, juxta illum authorem, Nabonaſſar condidit. Alii honorem illum Belo, alii Semiramidi, alii Nabucdonoſori tribuere malunt. Nobis tamen placet; communi Interpretum opinione favente, inclytæ urbis fundamenta à Nembrodo locata fuiſſe; quam poſtea Belus, Semiramis, & Nabucdonoſor auxerint, illuſtrarintque. Fundato à Nembrodo Babylonis Imperio, auctoque urbibus Arach, Achad, & Chalanne, Aſſur Semi filius, pulſus à Nembrodo, Babylonem, & agrum Sennaar, aſſigna-

(a) *Geneſ. XXXVIII.* 13. *Auguſt. l.* 4. *de Civit. c.* 4.

(b) *Geneſ. X.* 10.

ſignatam ſibi portionem, reliquit, ſucceſſitque in regionem, cui nomen indidit Aſſyriam; in quâ præter Ninivem, Aſſyriorum Imperii metropolim, condidit Rehoboth, Chale, & Reſen. Hæc quidem præferre videntur illa verba: *De terrâ illâ egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven, &c.* (a). Verùm Bochartus cum doctiſſimis pluribus Interpretibus, nomine Aſſur non ſingularem perſonam, ſed Provinciam Aſſyriæ deſignari ratus, perinde textum reddendum cenſet, ac ſi præferret: *De terrâ illâ* (Nembrod) *egreſſus in Aſſyriam &c.* Non contentus igitur Nembrodus Babylonis imperio, expeditionem ſuſcepit in Aſſyriam, in quâ urbes condidit, quibus veluti arcibus populos, ne unquam à se deficerent, cohiberet. Prophani Scriptores Ninives conditorem adſtruunt Ninum, Beli filium & Semiramidis maritum; ſed, niſi Nembrodum vocatum fuiſſe & Ninum, ſtatuamus, reputare utique oporteret, plus aliquid Nilo, celebri cæteroqui Aſſyriorum Regi, conceſſum, quàm veritas pateretur. Quam enim auxit fortè, vel ornavit, urbem condidiſſe creditus eſt. Porrò Babylonicum Imperium, quod & Aſſyriacum, quia & Chaldaicum interdum appellatur, omnium, quotquot innoteſcunt, antiquiſſimum eſt, ejuſque exordium unâ ſimul cum Turris Babelicæ conſtructione,

(a) *Geneſ. X.* 11.

ac Linguarum confuſione, conſignari poteſt ad annum Mundi 1770. Exinde enim obſervationes Aſtronomicæ Babyloniorum incœperunt; cum ſpatium 1903. annorum continerent illæ; quas Calliſtenes ad Ariſtotilem miſit circa 3676. (a). Succeſſores Nembrodi ne nomine quidem innoteſcunt, niſi fortè ex illis fuerit Amraphel Rex Sennaar, quem Abrahamus inſecutus eſt (b), & Cuſan Rex Meſopotamiæ, qui Iſraelitas octo annis oppreſſit (c). Anguſtiſſimis finibus Imperium illud primitùs definiebatur; quare nonniſi poſt auctam Monarchiam per Belum, & Ninum, qui circa annum 2789., dum Zola apud Hebræos Judicis munere fungebatur, è vivis deceſſit, Aſſyrii Reges prophanis Authoribus non patuerunt. Julius tamen Africanus tradit, Evechoum regnaſſe apud Chaldæos 224. ante Arabes, ſcilicet tempore Iſaac an. Mundi 2242. Arabes Imperium Chaldææ ſpatio 216. annorum tenuerunt, ſcilicet ab an. Mundi 2466. uſque ad 2682. Poſt illos Imperio potitus eſt Belus Aſſyrius. Belo ſucceſſit Ninus, Nino Semiramis, Semiramidi Ninias; poſt quem 36. Reges numerantur uſque ad Sardanapalum, quorum nuda tantùm nomina & anni recenſentur.

Miſraim filii. XXVII. Misraim filius Cham pater fuit Ludim, Ananim, Luabim, Nepthuim, Phetru-

(a) *Apud Simpl. l.2. de Cœlo.*

(b) *Geneſ. XXVI. 1.*

(c) *Jud. XI. 10.*

truſim; & Casluim; ex quibus egreſſi ſunt Philiſtiim & Caphtorim. Hos omnes in viciniis Ægypti, ubi Patris & Fratrum ipſius portiones aſſignantur, habitaſſe, non dubitamus; quo tamen in loco, inventu ſatis difficile eſt. Pluribus congeſtis demonſtrare nititur Bochartus, Chasluim Colchidem tenuiſſe; Calmetus contra Ægyptum mavult. Si priorem ſequaris, reputabis, populos quoſdam ex filiis Misraim originem ducentes, cum in patribus eorum aſſignatâ portione nullas commodas ſedes offendiſſent, partem in Chanaanitidem divertiſſe, eamque regionem occupaſſe, quæ deinde Regio Philiſtiim appellata eſt; partem verò conceſſiſſe in Provinciam Caphtorim, Cappadociam poſtea vocatam. Verùm juxta Calmetum, poſteri Chasluim ex Ægypto in Inſulam Caphtorim, cui poſtea nomen Creta, tranſierunt; ex quâ egreſſi irruperunt in Hevæos, victoſque depellentes, eam regionem, Philiſtiim dictam, elegerunt in ſedem. Peculiare ſanè Philiſtæorum nomen, Cerethim fuiſſe, ex nonnullis Scripturæ teſtimoniis conſtat (a). Porrò nomen Cerethim ex Crethim, Crethim verò ex Cretâ deduceretur. Pheletim, qui in cuſtodiâ corporis Regum Juda ſociam cum Cerethim operam navabant (b), Philiſtiim erant, facilè ex urbe Geth. Pelaſgos autem occurriſſe unâ cum

poris

(a) *Ezechiel. XXV. Reg. XXX. 14. 26. Sophon. II. 5. 1.* (b) 2.*Reg.XV.*18.

Cretenſibus in Inſulâ Cretâ, author eſt Homerus (*a*). Ex Pelaſgis, Philiſtiim, ex Philiſtiim Pheletim. Puris putiſque conjecturis, iiſque plùs eruditis, quàm ſolidis, Calmetum hìc inniti, omnes videmus.

Semi filii. XXVIII. Semi genealogiam poſtremam omnium narrat Moyſes, etſi Fratrum Japheti & Chami ultimus non eſſet, ut Hebræorum, qui ex illo orti ſunt, hiſtoriam commodiùs & minùs interruptam daret. Semus igitur quinque filios habuit, Elam, Aſſur, Arphaxad, Lud, & Aram. Centum annorum ætatem agens, Arphaxad, per quem Hebræorum author eſt, procreavit; productamque inde ad alios 500. annos vitam abſolvit. Summum ejus Patriarchæ ornamentum egreſſus ex ipſius familiâ Meſſias, ſervatuſque in illâ genuinus Dei cultus. Hunc virum Judæi fontem conſtituunt Traditionum Theologicarum, quas Noë primores homines docuerat. Illas enim Sem filiis; inde verò in reliquos poſteros propagatæ. Addunt Rabbini, Academiam illum, ſive Scholam Religionis, in monte Thabor aperuiſſe, ubi receptam jam in Scholâ Mathuſalæ ante Diluvium ſtudio 78. annorum doctrinam auditoribus ſuis tradebat. Confundendum autem Sem cum Melchiſedecho contendunt, ex quo Abrahamus traditiones omnes & cæremonias ſacrificiorum & cultûs religiosè poſtea ab illo ſervatas didicerit. Tandem primas

(a) *Calmet Addit. ad Diction. V. Caphtor.*

mas ab ipſo inductas juris & æqui regulas, & ſupputandorum menſium, annorum, & intercalationis eorundem menſium rationes initas. Septa urbs maritima in Africa, Salernum in Italiâ, & Salem in Judeâ conditorem illum ſibi vindicânt. Omnia incerta, ne quid prætera dicam.

XXIX. Ælamitas, Mediæ proximos, originem ſuam referre ex Ælam, ambigit nemo. Perſæ autem iidem ſunt ac Ælamitæ, vel ſaltem illorum propago. Ferunt, Cirum Ælamitas equitandi artem docuiſſe; exindeque Perſarum nomen genti datum, quòd Eques apud Hebræos idem ſonet ac *Parajch* (*a*). Hinc una, eademque urbs inter illos populos, ditiſſimo Dianæ Templo inclyta, ab altero Machabæorum Authore Ælymais, ab altero Perſepolis vocatur (*b*). Eſt autem & alia urbs Perſepolis, quæ ab Ælimaide magno nimis diſtat intervallo. *Ælam.*

XXX. Ex Aſſur Aſſyria nomen traxit. An Nembrodus è regione ſua Aſſur depulerit; ſeu potiùs Aſſur Nembrodo ſucceſſerit, in utramque partem diſputatur. Quæ ſucceſſorem adſtruit conjectura, inde ducitur, quòd Suidas, & Joannes Antiochenus aſſerunt, Ninum Aſſyriorum Regem prædeceſſorem fuiſſe Thuræ viri maximè ſtrenui, qui arma movit, vicitque *Aſſur.*

(a) *Gemellus par.* 2. *l.*2. *c.*7. *Calm. in Apoc.* IX. 17.

(b) 1. *Mach.VI.* 1. 2. *Mach.IX.* 1.

que tyrannum Caucaſum ex poſteris Japheti (a). Illum Aſſyrii aris conſecrarunt ſub nomine Baal, quod vernaculo eorum ſermone idem ſonat ac Mars. Ejus pariter nomen indiderunt Planetæ, quem nos Martem appellamus. Scriptor alius apud Salmaſium; aſſerit, Thuram *Zame* patre genitum fuiſſe. Facilè autem intelligimus, Zamem ipſiſſimum eſſe Sem, & Thuram Aſſur, vel Athur, juxta Chaldaicam pronunciandi rationem. Si hæc ſibi conſtant, Ninus confundetur cum Nembrodo, quem in Regno excipiens Aſſur nomen ditioni indiderit; Caucaſus verò non alius erit, quàm Gog ſive Magog, qui ſedes circa montem, Caucaſum deinde appellatum, habuit.

Arphaxad. XXXI. Joſephus aliique putarunt, Chaldæos olim nomen Arphaxad obtinuiſſe. Verùm Chaldæi in Hebræo Scripturæ textu perpetuò vocantur Chaſdim à patre ſuo Cheſed, vel Chaſed, filio Nachor, fratris Abrahami. Reputare tamen quis poſſet, Chaſed recepiſſe ſibi armis regionem Arphaxad, atque nomen Chaſdim indidiſſe Chaldæis, antea Arphaxadim appellatis. Cenſet Bochartus, Arphaxad nomen ſuum communicaſſe illi Aſſyriæ parti, quam Ptolomæus *Arrapachitem* vocat. Ipſa eſt facilè regio, cujus metropolis *Artaxata* in magnâ Armeniâ, in finibus Mediæ. Porrò

Ar-

(a) *Suidas in Thuras, & Joan. Antioch. apud Salmaſ. in Solin.*

Artaxata hodiè eſt *Teſlis* juxta nonnullos; juxta alios verò, *Erivan* in Armeniâ, ſub Perſarum ditione.

XXXII. Lud provinciæ Lydiæ in Aſiâ Minori nomen dedit, ut habet recepta maximè ſententia; quam Bochartus fulcit ex nominum affinitate, vetuſtate Lydiorum, & ſignificatione nominis *Lud*; ſonat enim tortuoſum, quod maximè quadrat Mæandro, ejus regionis amni. Ariæ Montano ſunt Ludim ad confluentem Euphratis & Tigris; flexuoſus eſt enim ibi Euphrates perinde ac Mæander. *Lud.*

XXXIII. In Syriâ & Meſopotamiâ apud Sacram Scripturam nomen Aram ſæpiùs invenitur. Inde repetendi Arimæi, quorum mentio eſt apud Homerum & Heſiodum (*a*). Veterum & Recentiorum plures autumarunt, Armenos originem referre ex Aram, & Arimæis, ſive Aramæis (*b*). In Armeniâ igitur, in Meſopotamiâ, & in Syriâ quærendi erunt & filii ipſius Aram, Us ſcilicet, Hul, Gether, & Mes. Propheta Amos (*c*) innuere videtur, poſteros Aram primùm in regione Kir ſedes habuiſſe; unde Deus illos eduxerit, ſicuti Israelitas ex Ægypto, & Philiſthæos ex Caphtor. Regio Kir ipſa eſt facilè Iberia, in *Aram, ejuſque filii.*

quâ

(a) *Homer. Iliad. B. Herodot. Heſiod. in Theogon.*

(b) *Strabo l. 1, Bonfrerius, Arias aliique.*

(c) *Amoſ. IX. 7.*

quâ amnis *Cyrus*, hodie *Cur*, *Chiur*, in Mare Caſpium influens. Quo verò tempore hæc eductio acciderit, prorsùs ignoratur; certè ante Moyſem; nam ille populos Syriæ & Meſopotamiæ jugiter Aramæos appellat.

Us. XXXIV. Proprias Hul, Gether, & Mes ſedes deſignare non ſuſcipimus. Us frequentaſſe Trachonitidem, vulgò poſt Joſephum & S.Hieronymum creditur. Urbem Damaſci ex Veterum fide condidit. Hinc regioni Damaſcenæ nomen Us ab Hebræis traditur. Commodè etiam Us ad fontes Tigris conſtitueretur, ubi populi *Uxii*, ſive *Oxii* apud Diodorum Siculum, Strabonem, & Plinium innoteſcunt. Duo pariter alii Us, ſive Hus occurrunt in Scripturâ; quorum alter filius eſt Nachor (*a*) fratris Abrahami; alter ad poſteros Sehir Horræi, ſive Eſau pertinet (*b*). Job degebat in regione Hus. Cujus? Facilè illius, qui ex Eſaü originem ducebat, Idumæamque Orientalem frequentavit.

Arphaxad poſteri. XXXV. Arphaxad pater fuit Sale, è quo ortus eſt Heber. Heber nati ſunt duo filii Phaleg & Jectan. Porrò Jectan treſdecim genuit filios, Elmodad, Saleph, Aſarmoth, Jare, Aduram, Uzal, Decla, Ebal, Abimaël, Saba, Ophir, Hevil, & Jobab. Euſtathius Antiochenus derivat ex Sale populos Suſianos. Urbs ſanè Sela, ſive Sele occurrit in Suſianâ apud Ammianum, & Ptolomæum. Heber ſedem

(a) *Geneſ.XXII.21.* (b) *Geneſ.XXXVI.28.*

dem habuiſſe circa Meſopotamiam & Aſſyriam; è quibus regionibus ipſius poſteri, Hebræorum progenitores, repetuntur, nemo ignorat. Phaleg, vel aliquem poſterorum in avi memoriam, veriſimile eſt nomen indidiſſe ſuum urbi Phalgæ ad Euphratem proximè ad confluentem Chaboræ. Filiis tandem Jectan ceſſit tota regio quæ *de Meſſâ uſque ad Sephar montem Orientalem* pergentibus occurrit (*a*). Meſſa Bocharto eſt Emporium & prorſus Muza (*b*) in Arabiâ ad Erythræum. Erat ad Orientem Muzæ Urbs Saphar Sepharitarum Metropolis. Verùm & Muza & Saphar meridionales erant Moyſi; nec unquam legimus, Arabiæ regiones nomine Orientis, ſive *Kedem* Scriptorem illum deſignaſſe: quin potiùs nomen illud uſurpat de regionibus ad Orientem Euphratis & Tigris. Quare Meſſa videtur eſſe illa regio, in quâ Maſius mons Meſopotamiæ erigitur; Sephar verò nomine intelligi poteſt regio Sepharvaim (*c*) ſive Sapirorum, aut Saraparorum, quæ inter Colchos & Medos verſatur (*d*). Quæ quidem illorum maximè favet ſyſtemati, qui Ophir & Hevila ſedes habuiſſe ad Iſthmum, Pontum Euxinum & Mare Caſpium interjacentem, perſuadentur. Confundendus autem non eſt cum Hevilâ, Jectan filio, alter He-

(a) *Geneſ. X.* 30.

(b) *Ptolom. Arrian. Plinius.*

(c) 4. *Reg. XVIII.* 24. *XVIII.* 34. *XIX.* 13.

(d) *Herodot. l.* 1. & *l.* 4.

Hevila filius Cus, qui regionem Arabiæ Felicis, ubi Tigris & Euphrates junctis aquis in Sinum Perſicum devolvuntur, frequentaſſe creditur.

Saba. Plures viri nomen illud ſortiũtur. XXXV. Tres viri nomine Saba, ubi agit de Diſperſione Gentium, Moyſes recenſet. Quartus alibi additur (*a*). Porrò Inſula Meroes ex nomine Sororis Cambyſis, ſi Joſepho fides, antea Saba appellabatur. Sabæis ſedes fuiſſe in Arabiâ Felici, neminem latet. Aliquam gentem, Sabæorum nomine claram, ſubſtitiſſe & in Arabiâ deſertâ, è Jobi hiſtoriâ colligitur (*b*). Perſiam denique & Armeniam ſuos habuiſſe Sabæos, quædam ejus nominis veſtigia oſtendunt. En quatuor Sabæorum regiones.

Poſt-

(a) *Geneſ. XXV.* 2. (b) *Jobi I.* 13.

Poſtdiluvianorum Patriarcharum ſucceſſio uſque ad Abrahamum. Extiteritne Cainan? Utrum naſcente Phaleg Terra diviſa fuerit? Annus Abrahami natalis.

CAP. XIII.

I. ACturi de Patriarchis Poſtdiluvianis, eamdem methodum adhibemus, quam tenuimus, dum de Patriarchis Antediluvianis ageremus. Geminas proinde Tabulas expandimus, ut diſcrimen; quod Hebræum inter & Septuaginta mediat, nullo negotio perſpici queat. Prioris autem ſupputationem ſequendam eſſe, alibi pluribus oſtenſum eſt (*a*), *Anni Patriarcharii Poſtdiluvianorum.*

(a) *Vide ſupra l.1. c.6. n.6.*

Patriarcharum nomina.	Año vitæ, quo genuerunt.	Vixerunt deinde annos.	Anni totius vitæ.	Orti ſunt anno Mundi.	Deceſſerunt anno Mundi.
TABELLA PRIMA JUXTA HEBRÆUM.					
XI. Sem	100.	500.	600.	1558.	2158.
XII. Arphaxad	35.	303.	338.	1658.	1196.
XIII. Sale	30.	403.	433.	1693.	2126.
XIV. Heber	34.	430.	464.	1723.	2187.
XV. Phaleg	30.	209.	239.	1757.	1996.
XVI. Rheu	32.	207.	239.	1787.	2026.
XVII. Sarug	30.	200.	230.	1819.	2049.
XVIII. Nachor	29.	119.	148.	1849.	1997.
XIX. Thare	70. vel 130.	135. vel 75.	205.	1878.	2083.
XX. Abraham	100.	75.	175.	2008.	2183.
ALTERA TABELLA JUXTA SEPTUAGINTA.					
XI. Sem	100.	335.	435.	2165.	2600.
XII. Arphaxad	135.	330.	465.	2265.	2730.
XIII. Cainan	130.	330.	460.	2400.	2860.
XIV. Sale	130.	330.	460.	2530.	2990.
XV. Heber	134.	370.	504.	2660.	3164.
XVI. Phaleg	130.	209.	339.	2794.	3134.
XVII. Rheu	132.	207.	339.	2924.	3266.
XVIII. Sarug	130.	200.	330.	3056.	3286.
XIX. Nachor	179.	129.	308.	3176.	3394.
XX. Thare	70.	135.	205.	3365.	3570.
XXI. Abraham	100.	75.	175.	3435.	3610.

II. Se-

II. Septuaginta nedum in annorum calculis, verùm & in Patriarcharum numero, quod majus eſt, ab Hebræo diſcrepant. Addunt enim Cainan inter Arphaxad, & Sale; quòd quidem additamentum crucem figit Interpretibus: non ex authoritate tantùm Septuaginta, ſed ex eo maximè quòd illud ſervet S.Lucas (*a*). Ut nodum hunc ſolverent, alii aliò abierunt. Sunt qui Judæos accuſent, nomen illud è ſuis Exemplaribus ſubduxiſſe, ut Septuaginta & Evangelii authoritati detraherent. Hoc autem nihil inſanius cogitare potuiſſent Judæi; reapſe enim ſuam Scripturam corrupiſſent, ut aliorum Scripturæ ſpeciem tantùm corruptionis crearent. Alii credunt, Moyſem ipſum conſultò illud nomen omiſiſſe, quòd decem tantummodo generationes ab Adam uſque ad Noë, totidemque à Noë uſque ad Abrahamum numerare decreviſſet. Paria ſanè præſtitit S.Matthæus, conſilio ſervandi quatuordecim generationes ab Abrahamo uſque ad David, & à David uſque ad tranſmigrationem Juda, ac tandem à tranſmigratione uſque ad Jeſum Chriſtum. Alii malunt, Arphaxad patrem fuiſſe Cainan & Sale, prioris generatione, alterius ſive lege, ſive adoptione, aut viciſſim. Quidam denique ex Cainan & Sale unum eumdemque virum binominem conflant. Fidem adſtruunt huic conjecturæ, quòd eadem ſit annorum vitæ utriuſque periodus, idemque

Quid de Cainan ſentiendum?

(*a*) *Luc. III. 36.*

gignendorum filiorum tempus. Hæc illi, quibus Cainan inter Arphaxad & Sale verè ponendus videtur. Quibus verò contraria probantur, dicunt, textum Hebræum præferendum eſſe Septuaginta, quòd illi ſuffragetur Vulgata, Samaritanus, & Verſiones Orientales. Quin facilè perſuadentur, nomen illud alterius eſſe, quàm Septuaginta ſive incuriæ ſive dolo malo deputandum. Nam Cainan ignotus fuit Joſepho, Philoni, S.Irenæo, Theophilo, Euſebio, Africano, S.Epiphanio, quamvis in illorum manibus Septuaginta verſarentur. Veteres ferè omnes, qui in Chronologiis ducendis Septuaginta Hebræo prætulerunt, annos vitæ Cainan omiſerunt. Antiquiſſimum Romanum Septuaginta exemplar Cainan ſilet. Defendit Grotius, nullo argumento evinci poſſe, nomen Cainan lectum fuiſſe in Septuaginta ante quartum ſæculum: quam tamen opinionem Pezronius non admittit. Eſt igitur, cur ſuſpicemur, nonniſi poſt Euſebium mendum illud irrepſiſſe in Septuaginta exemplaria, incuriâ Amanuenſium, qui Cainano in Genealogiâ Sethi ante Diluvium lecto, ejus nomen imprudenter hìc adnotaverint. Ad S.Lucam quòd attinet, nonnulli dixerunt, eâ in re Evangeliſtam non ſententiam ſuam ſed vulgi opinionem ac præjudicia populi expreſſiſſe, opportunâ quâdam uſum indulgentiâ erga Helleniſtas, quibus probabantur Septuaginta. Sed hæc ſupponunt, quæ incerta ſunt maximè, populum ſcilicet tunc credidiſſe,

didiſſe, Helleniſtas verò in Septuaginta legiſſe Cainan ex Arphaxad natum. Ad hæc, quis ferat hujuſmodi indulgentiam in Scriptore Numinis ductum ſequentem? Æquiora ſentiunt alii, qui dicunt, S.Lucam nunquam ſcripſiſſe Cainan, ſed illud nomen additum fuiſſe ipſius Chronologiæ ex corruptis Septuaginta Exemplaribus. Profectò celebre Manuſcriptum, à Theodoro Bezâ muneris loco datum Academiæ Cantabrigenſi, nihil habet de Cainan. Huic tamen ſententiæ acquieſcendum non puto; ſummæ enim temeritatis eſſe videtur, ex Evangelio expungere, quod Eccleſia Romana poſt Sacrorum Codicum emendationem ad præſcriptum Concilii Tridentini factam, etiamnum retinet, legitque,

An naſcente Phaleg Terra diviſio contigerit?

III. Animadvertit Moyſes, Heber uni ex filiis ſuis indidiſſe nomen Phaleg, *eò quòd in diebus ejus diviſa ſit terra* (a); Phaleg enim *diviſionem* ſignificat. Quibus innui videtur, Phaleg ab incunabulis nomen illud accepiſſe, eoque pariter tempore in lucem prodiiſſe, quo cœpta Babelis ædificatio, & Gentium diſperſio accidit. Sed huic opinioni duo adverſantur. Primò enim Phaleg 100. annos poſt Diluvium natus eſt; quo tempore numerus hominum non eò uſque auctus videtur quibusdam, ut tantum opus, turrim nempe Babelicam moliri poſſet, & mittere colonias ad implendam terram. Deinde Moyſes refert natalem 13. filio-

 rum.

(a) *Geneſ.* X. 25.

rum Jectan, eodemque in loco deſcribit natalem Phaleg: quod inſinuat, natos jam fuiſſe 13. illos liberos Jectan, cum Phaleg ejus frater in lucem editus eſt. Porrò Phaleg natus eſt anno 34. Heberi; quo tempore Jectan 13. jam filiorum pater, ætatis annum 28. vel 30., ut minimum, attigiſſe, par eſt. Quare in lucem editus fuiſſet quarto, vel ſexto anno Heber; quod inter abſurda abſurdum eſt maximè. Non eſt igitur, cur diſperſionis tempore natus Phaleg credatur. Placet proinde quibuſdam nonniſi Prophetico ſpiritu edoctum Heber nomen Phaleg indidiſſe filio ſuo; quippe qui hominum diviſionem poſt multos annos ab illius ortu eventuram prænoſceret. Malunt alii, Phaleg ortum eſſe non eodem anno, quo opus Babelicum abjectum eſt, ſed aliquot annis ſeriùs; diſperſio enim, ajunt illi, 12. vel 15. annorum tractu impleta eſt; quo pariter tempore natus eſt Phaleg. Dicunt quidam, Phaleg tale habuiſſe nomen non ſtatim ac in lucem prodiit, ſed poſtquam aliquos ſuæ vitæ percurriſſet annos; occaſione autem diſperſionis gentium, quæ ætate ipſius contigit, & in quâ fortè ille primas habuit, vocatum fuiſſe Phaleg. Argumentum quod ex 100. annorum ſpatio deſumitur, iis, qui ſupputandi artem callent, negatur. Ad filios Jectan quod ſpectat, dici poteſt, natos illos diù poſt ortum Phaleg: omnes tamen illos referendos unâ cum aliis plurimis, eodem capite collectis, opportunum duxiſſe

Moy-

Moyſem, quò ſeries hiſtorica minùs interciſa frequentibus genealogiis, prono & naturali curſu flueret. Calmetus his omnibus addit, Jectan facilè tredecim illos filios è multis uxoribus intra exiguum annorum ſpatium retuliſſe. Vellem tamen, ut hæc aliquâ conjecturâ confirmaret. Acciſæ autem eſſent omnes ambages, ſi verba illa Moyſis: *Eò quòd in diebus ejus diviſa ſit terra*; de diviſione terræ facta à Noë inter filios nepoteſque ſuos, aliquibus ante Linguarum confuſionem annis, interpretarentur.

IV. Narrat Moyſes (*a*), Patriarcham Thare annos 70. natum genuiſſe Abrahamum, Nachor, & Aran. Credimus autem non inviti, Moyſem hunc annum ſeptuageſimum Thare notaſſe, veluti primum tempus, quo liberos generare cœpit, non quo tres illos genuit. Primus autem Abrahamus ſtatuitur, aliò planè, quàm ætatis, privilegio. Tradit enim idem Moyſes (*b*), Thare diem clauſiſſe 205. annorum ætate grandævum; Abrahamum verò ejus filium anno patris ſui emortuali ex urbe Charan decedentem, egiſſe annos 75. Ex quo rectè inferas, Abrahamum nonniſi anno Thare 130. genitum; quare junior fuit geminis fratribus ſuis, qui è Thare geniti ſunt poſt annum ætatis ejus 70. Perſuaſum etiam habemus, Aran ætate majorem fuiſſe Nachor, cum Nachor ipſe Melcham ejus filiam duxerit. Ex quibus in-

Annus, quo Abrahamus natus eſt.

(a) *Geneſ. XI.* 26. (b) *Geneſ. XI.* 31, *et XIII.* 5.

intelligimus, Aran primum tenuiſſe ætatis ordinem inter filios Thare, Nachor ſecundum, Abrahamum poſtremum. Porrò ſi ſummam 130. annorum addideris anno Mundi 1878., quo prodiit in lucem Thare, habebis annum 2008. Abrahami natalem. Hinc concludere licet, à Diluvio ad Abrahamum effluxiſſe annos 352., ſimulque intelligimus, ipſum Abrahamum non potuiſſe quidem de facie cognoſcere Noë, qui biennio ante ipſius ortum fatis functus erat, ſicut nec Arphaxad, nec Phaleg, nec Nachor Thare Patrem, & avum ſuum; benè tamen reliquos omnes Patriarchas poſtdiluvianos, Sem ſcilicet, Sale, Heber, Rheu, Sarug; quod mirum, quantùm traditionis certitudini deſerviat!

LI.

LIBER SECUNDUS.

Abrahamum aliquando idololatram fuiſſe, cenſent nonnulli. Unde Idololatriæ origo? Duplex Abrahami vocatio, altera ex Ur, altera ex Havan. Pergit in Ægyptum; ex quâ reverſus Lothum liberat, & à Melchiſedecho, de quo plura diſputantur, benedicitur.

CAP. I.

I. ABrahamus priores 75. vitæ ſuæ annos cum patre ſuo Thare, & fratre Nachor, Idolorum cultoribus (*a*) in Ur, Chaldæorum Urbe, in qua & natus fuerat, tranſegit. Porrò Ur in Chaldæâ, uti ex Scripturâ conſtat, jacet; incertum tamen quo ſitu. Urbs eſt in Meſopotamiâ nomine *Ura*, ſex dierum itinere diſtans à Corduenâ, Niſibim verſus, & ab eâdem bidui itinere remota (*b*). Hanc autem urbem ipſiſſimam eſſe Ur Chaldæorum, cenſet Bochartus & Grotius. Porrò Chaldææ nomen non rarò Meſopotamiam omnem ſecundùm Tigrim complectitur. Sunt qui credant, Abrahamum ipſum ab initio ſuperſtitioſos cultus frequentaſſe; ſucceſſu verò temporis à Deo illuſtratum illos abdicaſſe; & ob eam rem duram *Abrahamus ab initio facilè fuit Idololatra.*

paſ-

(a) *Joſue XXIV.2.*

(b) *Ammian. Marcell. l.XXV. c. 26.*

paſſum fuiſſe perſecutionem, conjectumque juſſu Nembrodi in fornacem, ex quâ Divinitùs fuerit liberatus. Favet huic opinioni Vulgata, narrans, Abrahamum *ab igne Chaldæorum* liberatum (*a*); idemque paſſim docent Judæi. Hanc tamen de liberatione Abrahami ab igne hiſtoriam ad fabellas emandat S.Hieronymus (*b*). Porrò illa traditio nata videtur ex amphibologiâ nominis *Ur*, quod ſignificat & ignem, & Ur Civitatem. Cæterùm vero propiùs eſt, Abrahamum ex quò primùm audivit vocem veri & unici Dei ipſum aliò vocantis, avitum, ſi quo imbutus fuerat, errorem depoſuiſſe, patrique ac toti familiæ Idololatriæ oſtendiſſe vanitatem. Narrat Achior (*c*), Judæorum progenitores origine Chaldæos, quòd regionis, & Patrum ſuorum ſuperſtitionem admittere renuiſſent, juſſos à Deo Cœli, cujus Religionem tenebant, è patrio ſolo diſceſſiſſe; quæ ejus dicta ſuſpicionem movent nonnullis, num Abraham, & Thare, ejuſque familiæ cæteri deſerendæ Chaldææ cauſam habuerint, Idololatriæ horrorem?

Tempus inceptæ Idololatriæ. II. Idololatriam igitur ante Abrahamum in Mundo regnaſſe, certiſſimum habemus. De Authore tamen illius, in varias diſſitaſque ſententias abitum eſt. Primum illius ſceleris authorem Rabbini Enos, Patriarcham antedilu-

via-

(a) 2. *Eſdræ IX.7.* (c) *Judith V. 6.*
(b) *Hieron.qq.Hebr.*

vianum, conſtituunt (a). Sarug, Patriarchæ poſtdiluviano id deputat S. Epiphanius (b), aſfirmans pariter, pictis tantùm Numinibus illum contentum fuiſſe; ſimulacra verò ex metallo, ligno, & lapidibus invexiſſe Thare, patrem Abrahami. Alii in Nembrod Sarugo vetuſtiorem originem retrahunt, à quo traditum dicunt ſubjectis ſibi populis cultum ignis. Malunt alii antiquiorem adhuc Idololatriæ originem in Chamo Noë filio conſtituere. Ex illius ſanè familiâ invectum in Mundum Idololatriæ malum, vel ſaltem propagatum, nobis etiam perſuadetur; cum Ægyptii, quorum regionem ille incoluit, ipſum eumdem ſub Jovis Ammonis nomine adoraverint (c); nec ambigimus, Græcos Deorum ſuorum ſimulacra, cæremoniaſque recepiſſe ex Ægyptiis; quod ex ſe certum, docent nobiliſſimi Scriptores Herodotus, Lucianus, Ammianus Marcellinus, Euſebius (d). Chanaan pater eſt Phœnicum, quorum frequentiſſimis navigationibus & itineribus, tum & deductis aliò atque aliò coloniis factum eſt, ut longè latèque per Orbem Phœniciæ ſuperſtitiones & idola propagarentur. Tandem Chus, pater Nembrod, & filius Cham non minùs ac Chanaan, Chaldæos, Babylonios, & Aſſyrios cor-

(a) *Vide ſupra l. 1. c. 10. n. 13. c. 7. n. 6.*

(b) *Epiphan. de Hæreſibus.*

(c) *Vide ſupra l. 1.*

(d) *Herodot. l. 2. Lucian. de Deâ Syriâ. Ammian. l. 22. Euſeb. Præpar. l. 1. c. 6. & 9.*

corrupit, traditâ illis, quam ipſe acceperat a Cham, ſuperſtitione. Facilè autem Cham ſcelus illud ab hominibus, qui ante Diluvium vivebant, didicerat.

Cauſa Idololatriæ. III. De cauſâ Idololatriæ inter Eruditos pariter non convenit. Qui hominem caſu formatum reputarunt, autumabant, religionem ſibi illum veluti per gradus formaſſe, primamque ejus excogitandæ cauſam timorem aſſignant: *Primus in Orbe Deos fecit timor* (a). Moleſtiis agitatus homo, Deos ſibi in mente fabricavit. Tres Idololatriæ fontes indicat Author Sapientiæ (b). Primus fuit patris de acerbo chariſſimi filii fato dolor; ſolaturus enim dolorem ſuum, ad divinos illum honores elevavit. Secundus inſculptorum quorumdam operum elegantia, quam ſanè dignam Divinitatis ſedem ſtulti homines arbitrati ſunt. Tertius, quod in idem ferè recidit, peritia figuli, qui ſcitum ſimulacrum manu ſuâ formatum conſecravit. Noluit autem Sacer Scriptor omnes Idololatriæ cauſas recenſere, aut primam originem ejus rei indicare, contentus, exempla quædam exhibuiſſe craſſioris recentioriſque ſuperſtitionis; nam alibi (c) deſcribit cultum in Aſtra & Elementa impenſum. Clericus igitur vetuſtiſſimam omnium Idololatriam Angelorum cultum aſſignat. Primò omnium attributum eſt illis obſequium, quod

(a) *Lucret. l.* 5.
(b) *Sapient. XIII.* 13. *XIV.* 15. *XV.* 7.
(c) *Sapient. XIII.* 1. 2. 3.

quod ſibi excellentiâ naturæ, impenſiſque nobis beneficiis conciliarant. Deinde gradu facto tranſitum eſt ad cultum, non quidem Deo parem, ſed ſecundarium. Tandem nullâ factâ ad Deum relatione conſecrati ſunt. Eodem cum Angelis cenſu habitæ ſunt Animæ corporibus ſolutæ, maximè Principum, Heroum, Parentum, Amicorum. Vetuſtiſſimum primumque Idololatriæ fontem Voſſius conſtituit in receptâ de duplici principio, Bono nempe & Malo, opinione. Cum enim Bonum æquè ac Malum regnare in Mundo homines animadvertiſſent, nec uni eidemque Numini ſive Principio ambo illa deberi arbitrarentur, duo æqualis authoritatis, ſed indolis planè oppoſitæ Numina invexerunt. Alii habuerunt perſuaſum, omnium prima Divinis honoribus paria habita fuiſſe mortalibus Solem, Lunam, & Aſtra reliqua: Certus, nec interruptus motus, nitor conſtans, beneficia in uſus hominum collata longè plurima, craſſiores mentes rapuerunt, ut aliquid Divinum eis ineſſe putarent. Venit facilè in mentem, num Angeli, & animæ à corpore ſolutæ Aſtris inſiderent, eaque regerent, moderarenturque. Porrò hæc Numina maximè mortalium licentiæ & cupiditati opportuna videbantur; quippe quæ nihil exigerent, vetarent nihil, genio indulgerent. Accedebat de illorum naturâ, ac primi rerum omnium principii ignorantia. Hæc omnia tantùm apud illos valuerunt, ut Divinitate ea donarent & cultu. Tri-

bus

bus hiſce de Idololatriæ origine ſententiis quarta alia adderetur. Unius ſingularis Numinis idea omnibus ineſt; cujus appendix eſt perſuaſio de neceſſitate Mediatoris, quo manuducente, acceſſus pateat ad ſupremum illum rerum Principium, & Monarcham. Sed cum de dotibus hujus Mediatoris vel nihil reſciſſent homines, vel excediſſent è mente, quæ de illo divinitùs inſtructus docuerat Adam, ipſi ſibi Mediatores ſelegerunt, munus illud Angelis, vel Aſtris, aut Heroibus tribuentes. Primò omnium erecta ſunt Tabernacula, vel ædiculæ mediatoribus hiſce; dein factus eſt gradus ad ſtatuas vel imagines (*a*). Summâ tamen veri ſpecie affirmaretur, Idololatriam ſenſim & per gradus obtinuiſſe, ut qui omnium primi gradum ſibi fecerunt ad deteſtabile illud crimen, longè abſuerint ab eo ſcelere eò uſque provehendo, quò ſucceſſu deinde temporis tandem evaſit. Vix etiam reputamus, unum eumdemque Idololatriæ fontem à principio omnibus eâ in re peccantibus fuiſſe; ſingulæ regiones ſingulos Deos & religionem ſuis moribus & utilitatibus aptam fabricarunt. Primi authores nullam habuerunt certi ſyſtematis ideam. Vulgus enim indoctus & ſuperſtitioſus, cum partim ab inſculptâ in mente Numinis ideâ ſe ſe liberare non poſſet, partim verò amore licentiæ raperetur,

(a) *Vide Calmetum* v. Zabii.

retur, quam habebat de vero Numine notionem, debitumque in illum cultum ad ſenſibilia, & temporanea transferens, idola in Mundum invexit: Sacerdotes, lucelli cupidi, in abſurdâ opinione populos confirmarunt: acceſſerunt Principes politicâ ratione ducti: Sapientes denique adjecti ſunt, metu ne invidiam in ſe populi crearent. Colebantur ab exordio res charæ eximiæque, Sol, Luna, Stellæ, Parentes, Amici, Principes, Angeli, & ipſi Dœmones, ne nocerent; deinde translatum Dei nomen ad cætera omnia, ad amnes, ſylvas, lapides, plantas, animantia, quà utilia, quà perniciosa, in illa in gratiam accepti beneficii, in hæc ne nocerent. Opinio de Animarum in corpora ab humano diverſa, tranſmigratione ſuperſtitionem promovit. Membra ipſa corporis humani & turpiſſima etiam vitia conſecrata ſunt. Ita Venus turpes voluptates ſacro nomine velavit; ultio & ambitio in Marte culta eſt; crapulam Bacchus in Aras extulit.

IV. Nupſit Abrahamus Saræ, ſorori ſuæ, filiæ ſcilicet Thare, ex altera tamen matre, quàm Abrahamus, natæ. Thare ſiquidem plures facilè uxores duxerat; vel ſaltem poſt deceſſum illius, ex quâ Abrahamum ſuſceperat, altero connubio Saram genuit. Hoc ſanè nobis probatur potiùs, quàm illorum ſententia, qui Jeſcham, filiam Aran fratris Abrahami cum Sarâ confundendam malunt, neptem proinde Abrahami, & neptem pariter Thare illam conſti-

Sara Abrahami uxor, & ſoror.

ſtituentes (*a*). Nullo enim argumento demonſtratur, Saram apud Scripturam appellatam fuiſſe & Jeſcham; quin Abrahamus ipſe de illa teſtatus eſt: *Verè ſoror mea eſt, & filia patris mei, & non filia matris meæ* (*b*). Quid ergo cauſæ erat, ut Abrahamus amovendæ cuilibet de connubio ſuo cum Sarâ ſuſpicioni, ſororem illam appellaret (*c*)? Reponitur cum Clemente Alexandrino, connubia inter fratres & ſorores, eâdem matre natos, ſub naturæ lege prohibitos, non autem alterâ matre procreatos (*d*).

Anno Mundi 2083. Ante Chriſtum 1917. *Abrahamus primò vocatur à Deo.*

V. Juſſu Dei Abrahamus egreſſus eſt ex Ur Chaldæorum, in Chanaanitidem profecturus, ut hæreditatis ſibi ſuiſque poſteris deſtinatæ poſſeſſionem caperet. Comites itineris habuit Thare patrem ſuum, Saram uxorem, & Loth ex Aran fratre ſuo Nepotem. Porrò Aran fatis jam functus erat. Narrant quidam ex Rabbinis, Aran, cum ex incendio ſervare tentaret Idola, quæ in illud Abrahamus projeçerat, voracibus flammis abſumptum fuiſſe. Aſſerunt alii, virum illum à Thare delatum, quòd cultum igni dare recuſaret, damnatumque Judicis ſententiâ, in ſuccenſam fornacem coram patre ſuo injectum fuiſſe: quod verbis illis inſinuatum credunt: *Mortuus eſt ante Thare patrem ſuum*;

(a) *Joſephus, S. Aug., S. Hieron., Genebrardus, Toſtatus, aliique plures.*

(b) *Geneſ. XX. 10.*

(c) *Geneſ. XX. 2.*

(d) *Clemens Alex. Strom. l. 2. Cajet. aliique.*

ſuum (*a*), hoc eſt, coram Thare patre ſuo: Sunt tandem qui velint, Aran palam coram Nembrodo proteſtatum fuiſſe, eumdem ſe colere Deum, quem Abrahamus ob eamdem fidem in ignem injectus, & cœlitùs inde liberatus, venerabatur; Nembrodum autem flammis illum deſtinaſſe, è quibus minimè liberatus ſit. Si quis fabellas ejuſmodi falſitatis evincere conetur, ille certè bonis horis abutatur. Credimus autem & Nachor alterum Abrahami fratrem, ex Ur diſceſſiſſe; illius enim poſteri in Charan, quò Abrahamus ſubſtitit, ſedes habuerunt (*b*).

VI. Ad Charan igitur, ſeu Haran, Meſopotamiæ urbem ad amnem Chaboram, fuſo Craſſi exercitu notiſſimam, cum Abrahamus perveniſſet, Thare ægritudine correptus, fato conceſſit, annos natus 205. Perſolutis ſupremis Patri officiis, iterum Deus ipſum vocavit, ut in Chanaanitidem iter proſequeretur. Duas Abrahami vocationes apertè diſtinguere videtur S. Stephanus (*c*); quas tamen nonnulli in unam confundere malunt. Quamdiù moratus ſit in Haran, ambigitur. Sunt qui dicant, quinque annos. Nonnulli excedunt & iſtud ſpatium. Nos unum eumdemque annum utrique profectioni adſcribimus. Nec plus temporis requiritur, ut verificetur, Abrahamum ejuſque comites *feciſſe animas in Haran* (*d*). Quippe fœtas *Abrahamus in Haran ſubſiſtit.*

(a) *Geneſ. XI.* 28.
(b) *Geneſ. XXIV.* 4.
(c) *Actor. VII.* 5.
(d) *Geneſ. XII.* 5.

jam oves, ibi ſe fœtu liberaſſe, propius eſt vero. Quod & de mulieribus prægnantibus dicere poſſumus, ſi non ſolùm pecudum, ſed & hominum incrementum intelligendum cenſeas; Quamquam non omnes illic natos, ſed partim emptos, partim natos, æquum eſt ut cenſeamus. Quin & idem ſpatium ſufficeret, ſi animas, quas fecerunt, de hominibus ad Dei cultum ex avitâ ſuperſtitione traductis, cum Paraphraſtis Chaldeis interpretari velimus.

Abrahamus iterum vocatur.

VII. Divinis juſſionibus obſequutus Abrahamus, atque in ſpem magnificæ illius promiſſionis erectus: *Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum,... atque in te benedicentur omnes cognationes terræ;* Haran relinquens, venit unâ cum ſuâ familiâ in Palæſtinam. Degenti in loco, qui poſtea à Sichem, filio Hemor (*a*), Sichem dictus eſt, apparuit Dominus, omnemque circùm regionem illi, ejuſque poſteritati poſſidendam promiſit. Tunc primùm intellexit, qui finis ſui itineris & obedientiæ eſſet præſtitutus; reliquerat enim avitas ſedes, incertumque ac nullo indicio diſtinctum ſuſceperat iter; ex quo magis magiſque excellentia fidei Abrahami comendatur (*b*). Porrò a Dei viſione Valli circumjacenti Sichem nomen indidit Vallem illuſtrem, ſeu Vallem Viſionis; atque in æternum rei monumentum ibi pariter Altare excitavit.

Anni, quibus Hebræi pe-

VIII. Anno Mundi 2083. qui cum 75. Abraha-

(a) *Geneſ. XXXIV.* 2. (b) *Hebr. XI.* 8.

hami componitur, illigatur celeberrima Epocha 430. annorum, quibus peregrinati ſunt Hebræi, (a); cujus exordium eſt ipſa Abrahami gentis authoris ex avitis ſedibus in Chanaanitidem profectio, finis verò Hebræorum ex Ægypto exitus. Nicolaus Damaſcenus aſſerit, Abrahamum è Chaldæâ moventem cum exercitu veniſſe Damaſcum, ubi aliquandiu regnaverit, antequam in Chanaanitidem ſe conferret. Addit, viri nomen in univerſâ regione Damaſcenâ inclytum eſſe, ſitumque pariter oppidum, cui nomen *Domus Abraham* (b). Trogus pariter conſtituit Abrahamum inter Reges Damaſcenos, eamdemque regionem avitam fuiſſe cenſet Judæis (c). Nec Sanè inviti aſſereremus, Abrahamum aliquo temporis ſpatio egiſſe in regione Damaſcenâ, dum ex Haran in terram promiſſionis contenderet, quæ via eſt regia è Meſopotamiâ in Palæſtinam. Sed diuturnam egiſſe moram, ex Scripturæ teſtimonio negandum videtur: quin nec incongruè ex illâ inferretur, eodem anno veniſſe in Chanaanitidem, quo ex Haran ſucceſſerat; narrat enim, Iſmaelem natum anno Abrahami octogeſimo ſexto, & poſt ejus in regionem adventum decimo (d). Suſpicaremur etiam, hiſtoriam Abrahami, quatuor Reges, qui Loth captivum ducebant, inſequentis

regrinati ſunt. Fueritne Abrahamus Damaſcenorum Rex?

P 2

(a) *Exod.XII.40.Galat.III.* 17. *l.9.c.*16.
(b) *Joſeph. Antiq. l.*1.*c.*8. & *Euſeb. Præp.*
(c) *Juſtin.l.*36.*c.*2.
(d) *Geneſ. XVI.* 3. & 16.

quentis uſque Hobam, vel Abilam Damaſcò proximam, & relatam de illis victoriam (*a*), occaſionem præbuiſſe Hiſtoricis illis afferendi, quæ de Regno & exercitu Abrahami in Damaſco ſcribunt.

Moyſes de Chananæis agens explicatur.

IX. Notat Moyſes, tempore, quo Abrahamus in Chanaanitidem venit, Chananæos regionem illam tenuiſſe (*b*). Ut quid autem hæc Moyſes? Numquid alibi ſcripſerat, Chananæos non ſemper in eâdem regione egiſſe; vel fortè cum ſcriberet, alibi verſabantur? Suſpicantur plures, Gloſſam hanc è margine in textum irrepſiſſe, adſcriptam facilè quo tempore Judæi regionem tenebant, & fortè additam ab Eſdrâ Sacros Libros recenſente. Malunt alii, Moyſi ipſi adſcribendam; ut magis ac magis fidem Abrahami commendaret, ſpemque illius firmiſſimam, quâ Divinis promiſſionibus fretus, eam ſe regionem obtenturum credidit, quæ à florentiſſimâ tunc temporis gente obtinebatur, quamquam nulla tunc illi ſpes effulgeret. Cenſet Abenezra, inſinuatum à Moyſe, Chananæos ex eo tempore terram occupaſſe, pulſis populis, qui ibi antea verſabantur. R. Moyſes filius Nachman putat, Chananæos aliaſque Palæſtinæ gentes origine Nomades fuiſſe, turmatim huc illuc errantes, nunc ad ſeptemtrionem, nunc ad meridiem, quò pervenerat Abrahamus, regionis.

X. E'

(a) *Geneſ. XIV.* 14. (b) *Geneſ. XII.* 6.

X. E' Sichem procedens Abrahamus ad meridiem tentoria fixit in monte, ubi ſucceſſu temporis condita fuit Urbs Bethel (*a*), eam urbem habens ad occidentem, Haï ad Orientem; moræque ſuæ locum, erecto Altari, exercitio publicæ Religionis conſecravit. Ad intimiora & meridionaliora regionis cum aliquo poſt tempore progreſſus fuiſſet, fames valida Palæſtinam invaſit; quare Ægyptum petere coactus eſt, ut cibum ſibi compararet. Cum autem prævideret, Ægyptios pulchritudine uxoris ſuæ Saræ captos, facilè illam quidem rapturos, ipſum verò interfecturos, ſi ipſius conjugem eſſe cognoſcerent, Saram precatus eſt, ut ipſius ſororem ſe appellaret: ita fiet, adjecit, *ut benè ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui*. Amovendum à ſanctiſſimo viro omne ſcelus & mendacium; quippe qui tantùm veritatem conjugii ſive tacuerit, ſive diſſimulaverit. Reverâ enim erat illius ſoror. Si autem ſtatuamus, Saram neptem fuiſſe Abrahami, adhuc ſine mendacio, more apud Hebræos ſatis recepto, appellandi ſorores, fœminas omnes, ſanguine conjunctas, ſoror appellari poterat. Intelligens autem Abrahamus in diſcrimen veniſſe & vitam ſuam & uxoris pudicitiam, nec gemina iſta mala evitari poſſe, minus elegit, majus declinaturus: exploratum habens utique, ſanctam illam fœminam quamquam in corpore affectam injuriâ, nihil tamen iniquum in vo-

Abrahamus in Ægyptū contendit.

(a) *Geneſ. XXVIII. 19.*

luntate admiſſuram. Immeritò igitur Fauſtus Manichæus Abrahamum veluti infamem pudicitiæ uxoris ſuæ nundinatorem traduxit, ob impotentem illam, inquit, quâ in aurum ferebatur cupiditatem (a).

Sara raptus. XI. Ut in Ægyptum pervênit, ſtatim de Saræ elegantiâ Pharaoni ibi imperitanti renunciatum eſt, qui illam rapiens, uxorem ſibi adjungere decrevit. Longioris temporis moram trahente Sarâ in domo Regis, Ægyptii Abrahamum, veluti cujus ſoror regiis nuptiis deſtinaretur, ſummo honore, ingentibuſque muneribus cumularunt. Abrahamus viciſſim, ſi nonnullis fides, Ægyptios Aſtrologiam & Arithmeticam docuit (b); quorum opinioni fulciendæ Scriptura ne verbum quidem ſuppeditat. Credimus, Abrahamum ultra annum in eâ regione non ſubſtitiſſe; quo temporis ſpatio Saram fortè unguentis & aromatibus ancillæ perfundebant, parabantque, quemadmodum cum Eſther factum eſt, ut tandem in thalamum Regis introduceretur; nunquam tamen conceſsâ viris erga uxores ſuas libertate, cum Sarâ uſum Pharaonem reputaremus. Certum eſt, narrante Moyſe, Regem gravioribus plagis à Deo affectum Saram Abrahami uxorem intellexiſſe. Aſſe-

(a) *Aug.l.22.contra Fauſ.c.* 33. 34. *Lib.* 1. *contra Mendac. & Lib.* 16.*de Civit. c.*19.

(b) *Nicol. Damaſ. apud Euſeb. Præp. l.* 9. *c.*16.17.18. *Joſeph l.* 1. *c.*8. *&* 9.

Aſſerit Eupolemus (*a*), Deum ſæviſſimo peſtis flagello afflixiſſe non familiam tantùm Regis, ſed & ſubjectum illi populum univerſum; conſultoſque ariolos reſpondiſſe, fœminam, quam ſibi conjugem Rex deſtinaverat, nuptam eſſe Abrahamo; quare malo avertendo, viro ſuo eſſe reſtituendam. Tradunt alii, defectione populi Regem illum punitum, additâ uxorum gregumque ſuorum ſterilitate, ac ſubitis inſuetiſque morbis. Volunt Rabbini, Saram cuſtodiæ Angeli fuiſſe commiſſam, qui conantem ad ipſam accedere Regem percutiebat. Cenſet S.Chriſoſtomus, Deum per ſe revelaſſe Pharaoni, Saram Abrahami conjugio fuiſſe copulatam (*b*). Utcunque res habuerit ſe ſe, Pharao accitum Abrahamum interrogavit, cur ſororem ſuam, non uxorem, Saram dixiſſet? Simul autem juſſit, ut illi reſtitueretur, adjecitque militum præſidium, ne quid incommodi è Regno ſecedens à ſubditis pateretur.

XII. Commune fuit antiquis Ægypti Regibus, ut Pharaones appellarentur; præter quam communem appellationem, ſuo peculiari nomine diſtinguebantur, uti Rameſſes, Amenophis, Apries: quemadmodum Principes apud Romanos communi nomine dicebantur Cæſares, ſive Imperatores, peculiari verò Octavianus, Tiberius, Cajus. Demonſtrat autem Bochartus *Nomen Pharao quid?*

P 4 no-

(a) *Apud Euſeb. l.9.* (b) *Homil.32. in Gen. c. 19. Vide & Joſeph. neſ. ibidem;*

nomen Pharaonis Crocodilum ſignificare. An autem è Regibus in belluam, vel potiùs è belluâ in Reges tranſierit, incertum. Cum verò Crocodilus inter animalia cultui deſtinata apud Ægyptios cenſeatur, communicare cum illis nomen probro ſibi non ducebant Reges Ægypti. Clerico nomen Pharao ex Arabico *Pharah* derivatur, quod illum, qui elevatur, ſive qui præeſt, ſignificat. Proprium hujus Pharaonis, de quo verba mox fecimus, latet; ſed quantùm ex hiſtoriâ intelligimus, & Deum ipſe metuebat, & ſyncera Religio ex Ægypto penitùs non exulabat.

Abrahamus & Loth dividuntur.

XIII. Poſt famem redux ex Ægypto Abrahamus, per auſtralem Chanaanitidis plagam venit ad locum, in quo Altare antea erexerat inter Bethel & Hai, facilè ut ibi gratias Deo ageret, quòd illæſus ex ingruentibus in Ægypto malis evaſiſſet. Accidit non multo poſt tempore, ut Abrahami & Lothi paſtores rixas viciſſim committerent, quòd paſcua minora eſſent, quàm ut plurimis & opulentis eorum paſcendis gregibus ſufficerent; quare ut jurgii occaſionem amputarent, Abrahamo nepoti indulgente, ut ſibi quam mallet regionem ſeligeret, ſe deinde in oppoſitam migraturo, alter ab altero diſceſſit, & Loth Sodomam, cujus vicinia opima & feraciſſima, ſibi deſtinavit. Novis tunc pollicitationibus certior à Deo factus Abrahamus de conſequendâ pro ſe ſuiſque poſteris regione illâ universâ in vallem Mambre ſe-ſe recepit apud He-

Hebronem; ubi de more Altare Deo dedicavit.

XIV. Secundùm hæc, accidit Bellum Codorlahomor, fœderatorumque adverſùs Reges Pentapoleos. Cum 12. annorum ſpatio Codorlahomor Rex Ælamitarum, qui ad Perſidem ſpectant, ſubjectos habuiſſet imperio ſuo quinque Reges, videlicet Baram Sodomæ, Berſam Gomorrhæ, Semnaar Adamæ, Semeber Seboim, & Regem Balæ ſive Segor, illi tandem excuſſo jugo rebellarunt. Quare biennio poſt Codorlahomor ingenti comparato exercitu, adſcitiſque in ſocietatem armorum Amraphele Rege Sennaar, Arioch Rege Ponti, ſive, ut habet Hebræus, Septuaginta & Onkelos, Rege Ellaſar, provinciæ intra vel non longè ab Aſſyriâ in Regione Eden (*a*), & Thadal Rege Gentium, facilè in Transiordanicis in Galilæâ Gentium verſantium (*b*); in Chanaanitidem movit. Inter eundum Raphaïm, Zuzim, Emim, Chorræos, Amalecitas, Amorrhæos, alioſque populos Pentapoli in Transiordanicis vicinos armis infeſtarunt, quibus ſcilicet veluti nervis ſuccisis imbecilliores haberent ad reſiſtendum Urbes, & minus ad evitandam ultionem comparatas. Averſi quinque Reges inſtare proximè fœderatorum arma intelligentes, in apertum agrum eduxerunt exercitum. Erant autem in eo agro putei bituminis ſat frequentes; ex

Anno Mundi 2092. Ante Chriſtum 1908.

Bellum Codorlahomor, quo Lotb captus.

(a) *Iſa. XXXVII.* 12. *Matth. IV.* 15. *Iſai. IX.* 1.
(b) *Joſuæ XII.* 23.

ex quibus difficilior hoſtibus & equitibus maximè pernicioſus acceſſus. His tamen nequicquam obſtantibus, initâ pugnâ Reges Pentapolis ceſſerunt; exercitûs enim illorum parte cæsâ, pars reliqua in vicinos montes ſeceſſit, permiſitque Urbes in prædam victorum. Loth ſedes habens Sodomæ, eodem cum urbe fato obvolutus fuit, ſuiſque omnibus ac libertate expoliatus, captivus unâ cum cæteris abducebatur. Rem totam detulit ad Abrahamum quidam è prælio reliquus. Verſabatur tunc Abrahamus in valle Mambre, ubi fœdus iniverat ad inferendam & propulſandam injuriam cum Mambre, Eſchol, & Aner, in eodem agro ſuas habentibus ſedes. Vix igitur hæc intelligens fœderatis ſibi amicis expoſuit, hortatuſque eſt, ut meditanti ſibi Loth nepotem ſuum liberare, ſuppetias ferre non gravarentur. Miſſi actutum ab illis familiares cum armis, quibus Abrahamus junxit 318. vernaculos ſuos, armis pariter inſtructos, & ad omnia paratos; quibus omnibus ſtipatus quatuor Regum victorum, ad propria remeantium, relegens veſtigia, illos tandem ad Dan juxta fontes Iordanis aſſequutus eſt. Copias ſuas ac fœderatas Abraham in plura agmina diviſit; ſimulque omnes noctis ſilentio duxit in caſtra hoſtium; quos ſubito terrore conſternatos fudit fugavitque, ac fugientibus gravis inſtitit uſque Hobam, ſive Abilam ad ſeptemtrionem Damaſci, in valle Libanum & Antilibanum interjacente. Ceſſit illi in præmium

mium victoriæ reſtituta Loth nepoti ſuo libertas, omniſque præda, quam è victis quinque Regibus, direptiſque Urbibus agebat Codorlahomor. Cum Abraham è cede hoſtium regrediens, veniſſet ad vallem Save, exinde dictam vallem Regis, è regione Jeruſalem, ſive montis Thabor, ut quidam malunt, Rex Sodomæ, qui è ſuorum clade ſupererat, obviam illi factus, ſignificavit, ſatis ſe habiturum, ſi receptis iis, quos hoſtes in captivitatem abduxerant, hominibus, cætera illi remitterentur. Cui Abrahamus omnia ſe redditurum promiſit, exceptis iis, quæ milites ſui in itinere abſumpſerant, & illâ prædæ portione, quæ Mambre, Eſchol, & Are ſibi fœderatis contingebat.

XV. Eodem in loco Melchiſedech, Rex Salem, victori Abrahamo occurrens, *panem & vinum obtulit* (a). Hoc plerique exponunt de Sacrificio Deo oblato; idque evincunt illa, quæ ſtatim ſubjungit Moyſes: *Erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*. Alii tamen autumant, virum illum panem & vinum obtuliſſe Abrahamo ejuſque militibus ad refocillandas vires, longiſſimi itineris viâ feſſas. Facilè utrumque præſtitit Melchiſedechus, qui & fauſta victori adprecatus eſt pro beneficio toti regioni collato, ſimulque laudes Divinas pro præſtito illi auxilio panxit. Abrahamus viciſſim Religione & Altiſſimi, cujus Sacerdos Melchiſedech, cultu, unâ etiam hujus Principis comitate illectus, prædarum

Melchiſedechus Abrahamo benedicit.

(a) *Geneſ. XIV. 17.*

rum decimas, quæ neque ad Sodomæ Regem; neque ad ſuos fœderatos pertinerent, eidem contulit. Hactenus de Melchiſedecho Moyſes; Nihilque ulteriùs de illo, in veteri Teſtamento, niſi ſemel in Pſalmo (*a*), in quo Meſſias æternus Sacerdos juxta ordinem Melchiſedech futurus prædicitur. In novo vero Teſtamento præclari adeò ſanctique ſunt characteres, quibus Apoſtolus Paulus in ſuâ ad Hebræos Epiſtolâ (*b*) Melchiſedechum decorat, adeoque ſibi mutuò adverſari videntur, ut idem Paulus differendi difficultatem fateatur, quamvis Hebræos Scripturarum peritos alloqueretur: *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum.*

Variæ de Melchiſedecho opiniones. Fuerit ne Semus Noë filius?

XVI. Plura itaque de hoc viro cum quærunt, tum affirmant Scriptores. Urbs Salem, cujus Rex perhibetur Melchiſedech, S. Hieronymo eſt Salim juxta Scythopolim, ubi ad ſuam uſque ætatem Arcis ejuſdem Regis rudera extaſſe narrat. Uſſerio autem Salem eadem eſt ac Urbs Silo; Euſebio eſt Salem in regione Sichimitarum, Joſepho denique, quem omnes ferè ſequuntur, eſt Jeruſalem, antea *Jebus*, *Sedech*, *& Salem* appellata. Judæi & Samaritani Melchiſedechum eumdem eſſe ac Patriarcham Sem filium Noë putant (*c*); quorum opinioni noſtrâ

ætate

(a) *Pſal.CIX.4.*
(b) *Hebr.V. 6.*
(c) *Hieron. Ep. ad Evang. Epiph. hær. 55.*

ætate plures adſtipulantur (*a*). Fateri utique oportet, Chronologiam huic ſententiæ minimè adverſari, cum Sem tempore Abrahami à Melchiſedecho benedicti, adhuc in vivis ageret. Ut quid tamen Scriptura, quæ toties Sem memorat, ejus verum propriumque nomen adducens, nullâ de causâ illud poſtea immutavit? Quomodo vir ille in Syriam Chami, ſive Chanaani ipſius filii portionem ſe contulit? Apoſtolus præterea Melchiſedechi genealogiam, ortum, & obitum latere aſſerit, cum tamen hæc omnia de Semo Moyſes narret. Qui verò nullos Altiſſimi Sacerdotes Abrahamo ſuperiores, præter ſolum Sem, tunc temporis exiſtere potuiſſe defendunt, putant, Sem ex Noë filiis natu majorem fuiſſe, Sacerdotii verò dignitatem ad ſolos Primogenitos pertinuiſſe; ex quibus illud falſum eſt, hoc autem prorſus incertum (*b*).

XVII. Melchiſedechum Filium Dei eſſe, qui per hominis ſpeciem ſe Abrahamo videndum exhibuit, nonnulli ex antiquis autumarunt (*c*); quorum ſententiæ & Rabbini quidam ſubſcribunt (*d*); eaque noſtris temporibus probatur Petro Cunæo, Petro Molinæo, & Jacobo

Nonnulli in Melchiſedecho Filium Dei, Angelum, & Spiritum Sanctum agnoſcunt.

(a) *Vide Lyran. Abul. Cajet. Eugub. Rupert. Galat. Genebr. Torniel. Moller. Montacut. alioſque apud Calmetum diſſert. de Melchiſedecho.*

(b) *Vide ſupra l.* 1. *c.* 10. *n.* 13. *& l.* 2. *c.* 5. *n.* 8.

(c) *Epiph. hær.* 55.

(d) *Rab. Moſes Hadarſan.*

bo Gaillard. Huc, ajunt, reſpexit Jeſus, ubi dixit Judæis (a): *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum; vidit & gaviſus eſt*. Verùm Melchiſedechi, & Abrahami occurſum realem fuiſſe, non autem apparentem, ſive per ſpeciem, ex totâ ipſius Moyſis narratione ſatis docemur. His autem verbis: *Abraham diem meum vidit*; vel Iſaaci ortum, vel eumdem ab immolantis Patris cæde divinitùs ereptum, Chriſtus deſignavit. Vel fortè ad eos Angelos reſpexit, quos ſibi obvios in convalle Mambre hoſpitio Abraham excepit, eoſque ita alloquutus eſt, veluti Deum ipſum alloqueretur. Porrò quæ hìc diximus contra Filii Dei apparitionem, impugnant Origenem quoque & Didymum, in Melchiſedecho Angelum agnoſcentes; impugnant & Authorem Quæſtionum in Vetus & Novum Teſtamentum (b), qui Melchiſedechum non hominem fuiſſe, ſed Spiritum Sanctum, qui ſpecie hominis aſſumptâ, Abrahamo ſe videndum obtulerit, autumavit.

Melchiſedechianorum Hæreſis. XVIII. Theodorus Trapezita, Diſcipulus Theodori Coriarii, hæreſim Melchiſedechianorum, ineunte tertio ſæculo, invexit; quam deinde penè mortuam Hierax quidam apud Ægyptios excitavit. Docebant, Jeſum Chriſtum, licet è Matre Virgine ortum, & Spiritûs Sancti virtute progenitum, hominem tamen tan-

(a) *Joan. VIII. 56.* *Operum S. Auguſtini*
(b) *Append. tom. 3. p.* 106.

tantummodò eſſe; quem ipſe Spiritus Sanctus; ſive Virtus illa Cœleſtis, ipſiſſimus ſcilicet Melchiſedechus, longè ſuperaret (*a*). Verùm ſi Melchiſedechus, Paulo teſte (*b*), *Aſſimilatus eſt Filio Dei*, eodem Filius Dei ſuperior eſt; non enim ſpecioſum habetur, quod Dominus ſervo, aut ſuperior inferiori aſſimiletur. Ad hæc, Melchiſedechus verus homo erat, & Urbis Salem in Palæſtinâ Rex, non autem Spiritus aliquis ſub hominis ſpecie apparens, uti ſemel & iterum dictum eſt.

XIX. Regem itaque Chananæum fuiſſe Melchiſedechum communis eſt ſententia, quam, uti refert S.Hieronymus (*c*), docuerunt S.Hippolytus, S.Irenæus, uterque Euſebius Cæſarienſis & Emiſſenus, Apollinaris, & Euſtathius Antiochenus. Nunquam tamen crederemus, virum illum ipſiſſimum Cham fuiſſe; quod Miniſter Jurius defendit. Quomodo enim laudes, quibus Scriptura Melchiſedechum cumulat, & characteres ſimilitudinis, quos Melchiſedechum inter & Chriſtum Paulus oſtentat, Chamo convenire poſſunt? Gallo cuidam Scriptori apud Salianum (*d*) Melchiſedechus idem eſt ac Enoch. Alter à Petavio confutatus (*e*) autumat, tres Magos, qui Jeſum adorarunt, fuiſ- *Alii de Melchiſedecho errores.*

(a) *Epiph. hær.* 55. *Tertull.in Catalog.*

(b) *Hebr.VII.*3.

(c) *Nov.Edit. S.Hieronym.tom.*2.*p.*570.

(d) *Præfat. in to.*5. *Annal.*

(e) *Theolog.Dogm.de Opif.*6.*dier.l.*1.*c.*4.*a.*3.

fuiſſe Enoch, Melchiſedech, & Eliam: Judæorum nonnulli (a) ex vitiato concubitu natum illum dictitarunt, cum ſive de ejus genere, ſive de parentibus nihil in Sacrâ Scripturâ habeatur. Harum opinionum vanitas ſe ipſa proditur. Nec meliora tradunt, qui patrem Melchiſedechi certis nominibus deſignant, alii nempe Heraclam filium Heber, alii verò Sidonem filium Cham appellantes. Pſeudo-Athanaſius (b) tradit, hunc Regem patrem habuiſſe Melchi Ethnicum,& Matrem Salem.Cum autem, ait, Melchi Diis immolare ſtatuiſſet, ſeligendis ſeptem bobus filium miſit. Paruit ille; ſed inter eundum divino lumine illuſtratus, vacuus ad patrem rediit, cui etiam Idololatriæ vanitatem exprobravit. His offenſus Melchi filium quærendis iterum victimis miſit; atque interim ipſe ſolemni ſacrificio filium ſuum natu majorem, alioſque plurimos mactavit. Redux Melchiſedech, cum tantum facinus ferre non poſſet, in montem Thabor ſe recepit, ubi ſeptennio ſubſtitit, ſine indumentis, ſylveſtribuſque tantùm fructibus paſtus, rorem, quem ſuper herbas delapſum lambebat, pro potu adhibens. Septennio elapſo, Abraham à Deo monitus virum quæſivit; quem nactus, veſtibus fovit,Melchiſedech viciſſim illum oleo inunxit, & benedixit, nomenque Abram, quo priùs vocabatur, in Abrahamum commutavit. Succeſſu

(a) *Apud Selden.curis ſecundis ſec.1.de decimis.* (b) *Apud Athan, t.3. nov.edit.p.239.*

ceſſu temporis Abraham poſt cæſum Chodorlahomor & fœderatorum exercitum regredienti occurrit Melchiſedech, vini pateram offerens, in quam latenter panis fruſtulum injecerat;quod oblationis in noſtris Altaribus faciendæ myſterium erat. Huic hiſtoriæ nullam majorem fidem haberi volumus, quàm fabellæ. Porrò illud certum omninò eſt, hunc Regem ſatis expreſſam Jesu Chriſti figuram exhibuiſſe, utpote qui Rex Salem, ſive Rex pacis eſſet, Rex ſimul & Sacerdos. Exploratum etiam eſt, Melchiſedechi ſacrificium, quod pane & vino perfectum eſt, Euchariſtico, quâ nos Deo ſacrificamus, præluſiſſe.

Fœdus Dei cum Abrahamo, cuî Iſmael filius ex Agar inferioris ordinis uxore naſcitur. Abrahami & Saræ nomina mutantur. Lex Circumciſionis, de quâ plura recenſentur.

CAP. II.

I. AUctus Abrahamus Melchiſedechi benedictione ad priſtinas ſedes in Vallem Mambre ſe ſe recepit, ubi poſt aliquod tempus apparuit illi Dominus, qui virum compellans, ait: *Noli timere: Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*. Cui Abrahamus: Liberis nunc careo, ſemperque, quantùm intelligo, carebo. In quem ergo, Domine, recident magni- *Fœdus Dei cum Abrahamo.*

ficæ iſtæ promiſſiones. Placetne tibi, ut hæredem inſtituam Damaſcum, filium Eliezeri, domûs meæ Procuratoris, efficiamque, ut ille pondus promiſſionum tuarum ſuſtineat? Tunc Dominus: Nequaquam ita erit; ſed quem tu procreabis filium, ipſum habebis hæredem. Educto autem mox illi ex tabernaculo, contemplantique ſtellas, non pauciores illis poſteros habiturum promiſit. Credidit Abrahamus; quæ quidem fides inſigne juſtitiæ viri exhibuit argumentum. Divinis namque oraculis aſſenſum præbuit, quamquam ob ſui, uxoriſque ætatem contra omnem veri ſpeciem viderentur, quæ Deus promitteret. Ego, adjecit Deus, eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam. Rogavit tunc Deum Abrahamus, ut aliquo ſigno fidem ſuam confirmaret augeretque. Sacrifica, inquit Deus, vaccam, capram & arietem trium annorum, quibus addes turturem & columbam. Divinis juſſionibus morem gerens Abrahamus, à capite adusque crura diviſit vaccam, capram & arietem, abſciſaſque portiones alteram contra alteram, ad latera ſibi, poſuit ſuper Altaria è regione erecta. Immolatas verò turturem, & columbam integras hinc atque hinc ſuper alias victimas, quibus Altaria erant onuſta, poſuit, mediuſque deinde inter illas cubuit. Ita habere videtur Hebræus, cui concinunt Septuaginta. Vulgata tamen nequaquam præfert, Abrahamum turturem & columbam cæteris victimis

jun-

impoſuiſſe; ſed illis immolatis, minimèque diviſis, volucres Cœli ad vorandas ſacrificii carnes deſcendiſſe, quas Abrahamus abigeret (*a*). Dormiente Abrahamo ignis cœlitùs immiſſus tranſivit inter utrumque Altare, abſumpſitque ſacrificium. Hujus ignis fulgore, præſentiſque Numinis, quod ille indicabat, voce excitatus vir, non priùs poſteritatem ſuam Terram ſibi promiſſam, totum ſcilicet regionis tractum inter Nilum & Euphratem, poſſeſſuram intellexit, quàm 400. annorum, ſive quatuor generationum ſpatio in terrâ alienâ duro ſervitutis jugo premeretur. Mos iſte dividendi hoſtias fœderis atque per medias illas diviſas tranſeundi, verſandique, quod & Abrahamus per se ipſum, & Deus ſpecie ignis præſtitit, deſignabat ex veterum inſtitutione, eos, qui fœdus inibant, fidem ſuam obſtringere, ſervaturos ſe pacta conventa, vel, ſi minùs, imprecari in se earum victimarum fatum (*b*). Numero autem rotundo 400. annorum ſervitutis, ſive peregrinationis Hebræorum, ex aliis Scripturæ textibus addendi ſunt 30. anni (*c*). David tandem ac Salomon Divinarum promiſſionum fidem totam impletam intellexerunt; nam ante illos Iſraelitarum imperium anguſtioribus, quàm Nilo & Euphrate, finibus continebatur.

II. Cum filios non haberet Abrahamus, nec habiturum ſperaret, ob ſui, uxoriſque ſteriliAnno Mundi 2093.

 rili-

(a) *Geneſ. XV.* 11.
(b) *Livius l.* 1. *c.* 3. *n.* 3.
(c) *Vide infra l.* 3.

Ante Chriſtum 1907. *Abrahamus Agarem ducit uxorem.* rilitatem, Sarâ conſulente, Agarem ipſius ancillam, uxorem ducere ſtatuit, ut natis ex eâ liberis promiſſa à Deo ſibi facta, & pluries confirmata de prole ſuſcipiendâ, cui Palæſtina deſtinata erat, poſſent impleri. Non ergo hæc vir ille tentavit contemptu Saræ, aut voluptatis pellectu. Quin ſubſcribimus ſententiæ docenti, nunquam permiſſum fuiſſe hominibus, ut plures ſimul in thorum adſciſcerent uxores, abſque peculiari datâ à Deo facultate. Nec audimus, qui ad propulſandum ab Abrahamo cæteriſque Patriarchis polygamiæ crimen, ignorantiam illis appingunt. Rude equidem hominum genus plura & maxima ignorat impunè, tunc potiſſimùm, cum pium aliquid molientes, ex rectâ finis intentione, recta pariter omnes ad illud conducentes rationes arbitrantur. Secus tamen de viris ſapientiſſimis philoſophandum eſt, inter quos primas tenuiſſe Abrahamum, nemo ibit inficias.

Agar poſt fugam domũ reverſa Iſmaelem parit. III. Agar, cum ſe concepiſſe videret, Saram Dominam ſuam contempſit. Verùm Sara conqueſta apud Abrahamum, quòd ancillam petulantem non reprimeret, omnem ſuper illam poteſtatem à viro obtinuit. Sarâ igitur Ancillam duriùs habente, hæc fugam iniit: quam intercipiens Angelus Domini apud puteum, ſive fontem adjacentem viæ, quæ ex Hebron, per deſertum Sur ad extremam Maris Rubri oram, in Ægyptum deducit, ut ad heram ſuam rediret, illiuſque poteſtati ſe ſe ſubderet, impe-

pe-

perávit; brevique filium enixuram prædixit; quem Iſmaelem, *Exauditionem* nempe *Dei*, idcircò vocaret, quòd Dominus ejus gemitus exaudierit. Eum præterea naturâ ferum, ac multiplici prole potentem, omnium in ſe impetus provocaturum pariter & repulſurum, atque tentoriis è regione fratrum locatis, propinquas eis provincias conſecuturum, prænunciavit. Horoſcopum Patris implent filii, nempè Arabes, qui ſemper & hodie uſque, furtis ac prædationibus addictiſſimi, novandis rebus præſto ſunt, erraticam agunt vitam, pauperes, feri, inconſtantes. Degunt in locis Judeææ & Idumææ vicinis. Furtum rem eſſe crimine vacuam arbitrantur, eo ducti principio, fratres eſſe homines inter ſe univerſos, nullas inter homines diviſiſſe rerum portiones naturam, ſed omnia occupantibus permiſiſſe; in quam rem advertunt, Abrahamum, dum Agarem & Ismaelem dimitteret, nil hæreditatis illis aſſignaſſe (*a*). Agar hominem obvium se habere putaverat ab initio; deinde verò, cum vidiſſet, illum quem alloquebatur, dum terga verteret evaneſcere, Deum, vel Angelum rata, exclamavit: Felix adeò fui, ut humeros viderem illius, qui intentos in me providentiæ ſuæ oculos habet! Alii vertunt: Adhucne videndi, ſeu vivendi facultate utor poſt viſum Deum, vel Angelum? Altè inſidebat antiquis illa perſuaſio, eos, quibus per viſum aliquid apparuiſſet inſolitum, in

Q 3 vitæ

(a) *Abraham Echell. Arab. c.5.*

vitæ diſcrimen venire (a). Propter hoc Agar puteum illum appellavit, *Puteum viventis, atque videntis me*. Domum igitur Abrahami reverſa Agar, & Saræ ſubjecta, poſt aliquod tempus filium peperit, quem Iſmaelem appellavit, Abrahamo tunc ætatem 86. annorum agente.

Anno Mundi 2107. Ante Chriſtum 1893. *Abrahamo & Saræ nomina mutātur.*

IV. Treſdecim poſt annis, Dominus apparens Abrahamo, intimavit illi: *Ambula coram me, & eſto perfectus*; fœduſque, antea cum illo ejuſque poſteritate initum confirmaturus, poſt innovatas promiſſiones, atque benedictiones, quibus illum olim cumulaverat, imperavit, ut nomen ſuum *Abram*, hoc eſt, Pater excelſus, in *Abraham*, ſeu potiùs in *Ab-rammhammon*, id eſt, Pater excelſus multitudinis, commutaret, quòd multarum gentium Pater eſſet futurus & Regum; Uxor quoque illius, quæ antea *Sarai*, nempe Domina mea, appellabatur, ut deinceps *Sara*, videlicet Domina, vocaretur, pariter edixit. Poſterius hoc nomen abſolutiſſimum quid, ampliſſimumque exprimit. Quaſi diceretur: Non ampliùs habebitur mulier illa tanquam ſingularis familiæ hera, ſed gentium plurium Regina. Porrò hujus oraculi fidem ſtetiſſe, nullo negocio demonſtratur. Iſraelitæ, Idumæi, Arabes, & ipſi per ſe noti ſunt, & Reges habent celeberrimos. Huiuſmodi tamen promiſſiones reſpiciunt potiſſimùm filios Abrahami ſpirituales, fidei & obedien-

(a) *Vide Calmetum in Geneſ. XVI.* 13.

dientiæ eximii ejus viri imitatores (*a*).

V. Nedum autem nominum mutatione, ſed & indictâ circumciſionis Lege, Fœdus, cum Abrahamo ſancitum, Deus obſignavit; orituтumque intra annum ex Sarâ ipſius uxore filium, quem benedictionibus cumulatum, plurimorum Regum patrem deſtinaverat, apertè promiſit. His auditis, pronus in terram vir adoravit, ridenſque ac exultans: Miraculum, inquit, ut centum annorum agenti ætatem filius naſcatur, & Sara nonagenaria pariat. (*b*) Satis habeo, Domine mi, quod Iſmaelem mihi elargitus fueris: vivat ille, & nihil ultra quæro. At Deus iterùm illum de filio ex Sarâ ſuſcipiendo, quem Iſaacum vocaret, certiorem fecit, adjecitque, Iſmaelem quidem ita ſe aucturum, ut duodecim Principum ſive Populorum pater eſſet futurus; ſed pactum ſuum cum uno tantùm Iſaaco firmandum. Quibus dictis, Deus abſceſſit. Fœderis initi pactiones plerumque tabulis marmoreis, ſive æreis inſcribebantur; ſæpiuſque monumenta publica erecta ſunt, quò memoria apud poſteros perennaretur. Illud etiam olim invaluit, ut Domini notis quibuſdam ſervos ſuos compungerent, ſive ſignarent, quibus à cæteris diſtinguerentur. Volens igitur Deus fœderis à ſe cum Abrahamo initi monumentum manere æternum, viro, quocum fœdus ſancitum eſt,

Circumciſionis Lex.

Q 4 ac

(a) *Rom. IV.* 11. 12. *Galat.III.*14.*&c.*

(b) *Gen.XVII. Joan. VIII.*56. *Rom.IV.*19.

ac toti deinceps ejus poſteritati, eorumque mancipiis, circumciſionem indixit; quo etiam ſigno ſive notâ tum ipſe Abrahamus, tum ejus familia tota Divino cultui addicta dignoſceretur. Dei juſſionibus parens Abrahamus, ſtatim ac ille diſceſſit, in se ipſo, in Ismaele, & in omnibus domûs ſuæ maſculis legem Circumciſionis implevit. Idem Circumciſionis præceptum Deus innovavit, rogatâ per Moyſem Lege, quando & juſſit, eo Sacramento tantùm initiatos admittendos ad Victimæ Paſchalis participationem (*a*).

Varia de Circumciſione adnotantur.

VI. Judæi, cum circumcidunt, pelliculam præputii maſculorum amputant. Octavâ ab ortu die juxta Domini præceptum cæremoniam illam abſolvunt. Nunquam præveniunt, differunt aliquando, cum ſcilicet pueri valetudo dilationem poſtulat. Cur autem octavâ die circumciſio ſtatueretur, in causâ facilè fuit, quòd impares erant pueri ante id temporis dolori vulneris ferendo. Infantuli decedentes ante diem octavam, ſicut & puellæ, quibus non erat præſcripta circumciſio, è plurium Doctorum ſententiâ ſalute potiebantur merito & fide parentum, vel Synagogæ, aut aliquo Sacramento, nobis ignoto, quòd ad delendum peccatum originale obtinuerit etiam ante datam circumciſionis legem: Sunt tamen qui poſt mortem arundine puerum circumcidant, ſi ante octavam diem obire contingat.

VII. Erant

(a) *Exod. XII. 44. 48. Levit. XII. 3.*

VII. Erant circumcidendi non tantùm Filii, ſed etiam Servi, & Mancipia. Diſputatur autem, an ſervi & mancipia alienæ ab Abrahamiticâ ſtirpis cogi poſſent ad circumciſionem? Nos exiſtimamus, Deum illud Fœderis ſui ſignum eis tantùm imprimendum voluiſſe, quibus in Fœdus illud conſenſio erat, ſive ex origine, ſive ex voluntate. Quare poſteros Abrahami ex Agare circumciſionis lex adſtringebat. Cum enim nullæ eſſent illorum partes ſive in Fœdus, ſive in promiſſiones, pariter ad illos non ſpectabant ſive circumciſio, ſive aliæ quæcunque Fœderis conditiones. Quare circumciſionem ſi illi admiſerint, factum id vel conſuetudine, vel privatâ religione.

An omnes, qui ad Abrahami familiam ſpectabant, circumcidendi eſſent?

VIII. Qui origine à Judæis alienâ ad illorum ſacra tranſibant, Proſelyti (Advenæ) dicebantur. Horum autem duplex erat genus, videlicet *Proſelyti Domicilii*, & *Proſelyti Juſtitiæ*. Illi jurejurando coram tribus teſtibus præſtito, se se ad obſervantiam Præceptorum Noachidarum obligabant; quo & jus ad vitam æternam obtinerent, & inter Iſraelitas domicilium poſſent habere. Proſelyti verò Juſtitiæ toti Moyſis legi & circumciſioni ſubdebantur, paria habituri cum populo Dei, & præſentis, & alterius vitæ privilegia. Si quis circumciſione obſignatus inter Proſelytos nomen dare poſtulaſſet, aperto iterum vulnere, guttulæ quædam ſanguinis educebantur. Tria ad Proſelytum initiandum ex Rabbinis neceſſaria, Baptiſmus,

Proſelyti.

Cir-

Circumciſio, Sacrificium; ſubducenda pro fœminis Circumciſio.

Pœna Incircumciſi. IX. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit*; inquit Deus. Eâ loquendi phraſi, *Delebitur*, exprimitur plerumque mortis violentæ ſupplicium (*a*). Maimonides explicat de Animæ annihilatione; quam ſententiam penitùs reprobamus. Alii intelligunt mortem immaturam; alii, mortem civilem, veluti ſi quis nullos poſt se relinquat liberos, vel è cœtu Iſraelitarum excommunicatione ejiciatur, ſive denique prærogativis omnibus & promiſſionibus, quæ appendices ſunt Fœderis Dei cum Abrahamo, privetur. At S. Auguſtinus (*b*) & illum ſequuti viri Doctrinâ & Sanctitate illuſtres, Proſper, Fulgentius, Gregorius Magnus, Bernardus, Thomas, aliique Scholaſtici & Interpretes ſanè multi, docuerunt, circumciſione peccatum originale remitti; ut quicunque illâ non initiaretur, æternâ morte puniretur: Profectò ætate S. Auguſtini legebant Exemplaria quædam Latina, uti nunc pariter Samaritanus & Septuaginta: *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit die octavo, delebitur &c.* Hæc additio, *die octavo*, eò adducere

(a) *Exod. XXX.* 33. 38. *XXXI.* 14. *Levit. XVII.*4.9. *XX.*18. *Num: IX.*13. *XV.*30.31.

(b) *De Civit. l. XVI. c.*27. *con. Pelag. & Celeſ. c.*30. *L.*2. *de Nuptiis & concup. c.* 11. *Lib.*2. *de Peccato Orig. c.*30.

ducere videbatur, ut reputaretur, extremo ſupplicio animadvertendum fuiſſe in pueros circumciſione carentes, nullâ etiam eorum culpâ; quod cum minùs æquum cenſeret S. Auguſtinus, textum de animæ damnatione, quæ pueros illos maneret poſt hanc vitam, interpretari maluit. Puniuntur, inquit, quòd originalis culpæ ab ortu ſint rei. Exponit autem, quæ ſequuntur; *Quia pactum meum irritum fecit*; de hominibus reis violati in Adamo primi illius fœderis, Deum inter & Hominem ſanciti. Docent Rabbini, hominem incircumciſum non ſubire pœnas, niſi poſt ætatem 13. annorum. Addunt quidam ex illis, ſi prior natus infans, tum ſecundus & tertius dolore vulneris circumciſionis obiiſſent, nequaquam eos, qui deinde naſcebantur, filios circumcidi; quòd præcepta cæremonialia ſervare certæ mortis periculo non teneamur. Tandem cenſuerunt nonnulli (*a*), pœnis illis non in pueros à circumciſione excluſos, ſed in parentes, ſive altores animadverti, quippe qui muneri ſuo defuiſſent.

X. De Miniſtro & Inſtrumento Circumciſionis nil in lege cautum. Hinc liberum erat parentibus ſive per se, ſive per alium quemcumque, etiam fœminam, dummodò fidelem, eo ſacramento liberos initiare. Utuntur autem cultro ſive novaculâ; quorum defectum Sephora & Joſue lapide præacuto, uti creditur, ſupple- *Miniſter, Inſtrumentum & Locus Circumciſionis.*

ve-

(a) *Diodor. Tarſ. & Procop.*

verunt (*a*) : De loco pariter nihil excipitur : Eliguntur Patrinus & Matrina ; ille detinendo infantulo, dum circumciditur, altera deferendo ad locum circumciſionis.

XI. Diſputant Theologi, utrum circumciſio originale peccatum deleret, an merum eſſet ſignum, quo Judæi à Gentilibus diſtinguerentur. Veteres Patres ante S. Auguſtinum poſterioris ſententiæ aſſertores videntur. Verùm S.Auguſtinus, cui Theologi paſſim adſtipulantur, priorem, uti ſuperiùs viſum eſt, ſententiam præfert.

Circumciſio ab Hebræis in alios populos derivata.

XII. Hunc circumciſionis ritum adſciverunt Arabes, Ægyptii, Ethiopes, Idumæi, Mahumetani. Arabes tamen nonniſi poſt annum ætatis decimum tertium circumciſioni ſubjiciuntur, quòd Iſmael gentis author poſt tantum temporis ſit circumciſus : qui quidem mos apud Mahumetanos etiamnum viget. Celſus, Julianus Apoſtata, Marſhamus, & Clericus putant, Abrahamum ex Ægyptiis circumciſionem petiiſſe. Sed Sacra Scriptura hanc cæremoniam tanquam in Orbe novam, & inuſitatam Abrahamo divinitùs traditam narrat. Ad hæc, quî fieri potuiſſet, ut circumciſio Hebræos à reliquis populis diſtingueret, ſi cum Abrahamus illâ uteretur, eadem apud Ægyptios obtineret ? Verum eſt, Herodotum aſſerere, morem illum ex Ægyptiis in reliquos populos effluxiſſe. Sed illius authoritas, uni tantùm innixa relationi Sacer-

(a) *Exod. IV. 24. Joſue V. 2.*

cerdotum Ægyptiorum, res ſuas jactantium, Sacræ Scripturæ & Patrum contrariam ſententiam nequaquam infringere poteſt. Satius erit affirmare, ex Arabibus, Abrahami poſteris, in Ægyptios alioſque populos ritum illum propagatum fuiſſe. Circumciſio tamen Ægyptiaca alia eſt ab Hebraicâ; illam enim adhibent non ſolùm viri, ſed & fœminæ, quamquam non omnes, ſed illi tantùm, quorum natura illam poſcit ad ſui remedium. Ex quo iterum evincitur, Abrahamum ex Ægyptiis non derivaſſe in ſe ſuoſque circumcidendi ritum; nam apud Hebræos viri tantùm, & Religionis exercitio circumciſionem admittunt.

XIII. Cum fœmellis has cæremonias, loco circumciſionis, Hebræi ſervant. Mater 80.diebus domi moratur; quibus evolutis, Synagogam adit, eamque excipit Cantor, benedictionem pro infantulâ recitans, cui etiam nomen à parentibus electum imponit. Quibuſdam in locis non mater Synagogam, ſed Cantor domum illius adit. *Pro initiandis fœminis ritus.*

XIV. Ejurantes Religionem ſuam Judæi, ſimul etiam ſigillum omne circumciſionis abolere in se conabantur, uti legas in libro Macchabæorum primo: *Fecerunt ſibi præputia* (a). Quidam tamen autumantes circumciſionis ſignaculum aboleri non poſſe, textum illum interpretantur de parentibus; circumciſione obſignare filios ſuos renuentibus. Verùm quid reſpondent ad illa *Circumciſionis ſignum aboletur.*

(a) *I. Macch.I. 6.*

illa Pauli verba: *Circumciſus aliquis vocatus eſt, non adducat præputium* (a); quibus, pellem ſarciri poſſe, inſinuatur?

Angeli ortum Iſaaci promittunt. Sodomæ incendium. Lothi uxor in ſtatuam ſalis convertitur. Ejuſdem viri cum filiabus inceſtus. Abimelechus, qui Saram rapuerat, corripitur.

CAP. III.

Iſaacus promittitur. I. Paulò poſt datam Circumciſionis Legem tres Angeli ad evertendam Sodomam, vicinaſque Urbes miſſi à Deo, in convallem Mambre, ubi Abraham morabatur, devenere; quos ut ille vidit, continuò currens, ut apud ſe pranderent, invitavit. Annuentibus pedes lavit, lautoque pro illo tempore convivio hoſpites refecturus, ſubcinericium panem Saræ operâ, opimiorem verò vitulum operâ famuli actutùm parans, unà cum lacte & butyro, menſas inſtruxit. Cum comediſſent, utique in ſpeciem tantummodò, introducto ab Angelis de Sarâ ſermone, ex illis unus promiſit Abrahamo, ſe intra annum regreſſurum ad ipſum, Saram verò, ſi Deus illam interim ſoſpitaſſet, filium parituram. Sara poſt oſtium tentorii latens, hoſpitis fiduciam ſecum ridebat, qui effœtis jam conjugibus ſeriò liberos polliceretur. Hunc mulieris ri-

(a) *I. Cor. VII.* 18. *Vide Joſeph. Antiq. l.* 12. *c.* 6.

riſum ſtatim Dominus agnoſcens: Cur, ait, Sara riſit? An quicquam Deo difficile eſt? Intra annum redibo, & promiſſa implebuntur. Sara tunc deprehenſa, riſum negavit; ſed fruſtra, Angelo etiam atque etiam aſſerente.

II. Parantes autem diſceſſum, Sodomam verſùs, Abrahamus honoris causâ Angulos comitabatur. Inter eundem, præcedentibus duobus Angelis, tertius, qui cum Abrahamo erat: Clamor, inquit, Sodomæ & Gomorrhæ in dies augetur, earumque crimina in immenſum crevere. Deſcendam igitur, & videbo; an verus ſit clamor, qui ad me delatus eſt; nam ſi verus ſit, ſine indulgentiâ urbes illas deſtruam. Abrahamus Sodomæ infortunium nepoti ſuo Loth metuens, ad Dominum verſus: Numquid, ait, perdes juſtum cum impio? Si quinquaginta juſti Sodomæ reperiantur, num unâ cum cæteris illos diſperdes? An non potiùs cæteris omnibus propter illos indulgebis? Parcam toti civitati, reſpondit Dominus, ſi quinquaginta juſtos in illâ invenero. Tum alter: Quandoquidem auſus ſum tecum habere ſermonem, quamvis ſim pulvis & cinis, hoc addam Domino meo: Quid ſi minùs quinquaginta juſtis, quinque fuerint? Adhucne urbem delebis? Non delebo, reſpondit Deus. Abrahamo autem numerum gradatim minuenti ad quadraginta, ad triginta, ad viginti, & tandem ad decem, promiſit Deus civitatem non perditurum. Preces ſuas longiùs urgere ex debitâ in Deum reverentiâ non audet *Intendium in Sodomam minitatum.*

Abra-

Abrahamus; reputans ſimul, fieri vix poſſe, ut decem ſaltem in totâ urbe non occurrant juſti; Re tamen ipsâ non eſt inventus alius juſtus præter Loth ejuſque familiam. Abſcedente autem Domino, ad propria in vallem Mambre Abrahamus remeavit.

Quinam fuerint tres Angeli? Fabula ex illis derivata.

III. Tribus hoſpitibus iſtis tres perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis exhiberi, credidit S. Ambroſius (*a*). Alii Patres docuerunt, inter duos Angelos tertium veniſſe Filium Dei, ſecundam nempe Trinitatis Perſonam (*b*); quam ſententiam prætuliſſe videtur Eccleſia, cum in ſuo Officio verba illa ex Patribus deſumpta adhibeat: *Tres vidit, & unum adoravit*. S. Auguſtinus validè tuetur, tres illos viros totidem fuiſſe Angelos; quibus ſub exuviis Abrahamus Deum adoraverit (*c*). A principio Abrahamus nonniſi homines in hoſpitio habere facilè credebat; ſed ex illorum ſermone, ſe cum Deo, ſive cum illis, qui Dei vices gerebant, verba miſcere intellexit. Quæ hìc à Moyſe narrantur, Ovidius ſub fabularum involucris expreſſit (*d*); Cum tria illa Numina Jupiter, Mercurius, & Neptunus inter homines peregrinarentur, geſta ab illis omnia exploraturi, ſub veſperam cuidam exi-

(a) *Ambroſ. l. I. de Abrah. c.5.*

(b) *Irenæus, Tertullian. Juſtin. Hilar. Gregor. Nazianz.*

(c) *Aug. l.2. & 3. de Trinit. & lib. 16. de Civit. c.29.*

(d) *Ovid. Faſt. l. 5. Vide & Polephat. c.5. & Eratoſth. c.33.*

exiguæ caſæ acceſſerant, præ cujus foribus verſabatur ſenex optimus Hyrieus. Ille advenas intuitus, hoſpitio & paupere quidem, ſed læto convivio excepit. Interrogarunt Dii, quid poſceret mercedis: quæſivit ille filium, ſed recuſare dicebat conjugium, quòd morienti uxori fidem obſtrinxiſſet, nullam ſe deinceps aliam ducturum. Annuerunt hoſpites; irrigatoque ſua ipſorum urinâ corio tauri, ab Hyrieo immolati, mandarunt ſeni, ut pellem illam defoderet in terram, nec niſi poſt novem menſes erueret. Inde natus Orion. Quis non intelligat, ſub ementito nomine Hyriei Abrahamum ex Urbe Ur indicari? Nunc ad Hiſtoriam revertendum.

IV. Inclinante die duos Angelos, qui tertium cum Abrahamo verba facientem præceſſerant, Sodomam ingredientes, Loth, qui præ foribus tunc ſedebat, pronus rogavit, ut domum ſuam diverterent, eoſque renuentes, inque urbis plateâ noctem tranſigere volentes, penè coactos hoſpitio excepit, refovitque convivio. Necdum cubitum ierant, cum urbis incolæ Lothi domum circumſidentes, eos juvenes, quibus abuterentur, ad ſe produci urgebant. Loth verò ut eos à tanto ſcelere deterreret, geminas virgines, filias ſuas ſe potiùs educturum promiſit. Rerum magna turbatio, & optima viri voluntas, quâ ferebatur ad extrema, ut ſacra hoſpitalitatis jura tueretur, minuendo crimini multùm valent. Peſſimè tamen illum eâ oc-

Loth Angelos hoſpitio ſuſcipit.

occaſione egiſſe, vix eſt, ut ambigamus. Virgines illæ erant deſponſæ; nefas proinde de illis diſponere. Fac, nulli viro addictæ fuerint; integrum ne erat malum facere, ut malum aliud vitaretur? Factum tamen iſtud celebrant ex Patribus nonnulli, & Theologis. Cajetanus, ut virum excuſet, cenſet, Lothum aliò ſanè ſpectaſſe, quàm ad filias licentiæ Sodomitarum permittendas; ſed ut demonſtraret, quantas animi anguſtias experiretur ex tentatâ in hoſpites ſuos licentiâ, hoc illis propoſuit, quod tamen rejiciendum certiſſimè norat; ut ſcilicet hæc intelligentes ab incœptis ceſſarent.

Lothi fuga. V. Sodomitæ nequaquam Lothi conſiliis acquieſcentes, imò & ei vim intentantes, prope erant, ut domûs illius fores effringerent, quando Angeli eorum oculos iis illicò tenebris obduxerunt, ut lumine prorsùs deſtituti, januam minimè invenirent. Monitus deinde Loth, ut cognatione ſibi devinctos ex urbe, jam jam delendâ, educeret, generos, quibus filias ſuas deſponderat, ut proximo excidio ſe adimerent, rogavit; quem illi veluti inepta & ſomnia vendentem minimi habuere. Ut illuxit, cum Loth diſceſſum adhuc cunctaretur, Angeli ipſum unâ cum uxore & filiabus manu apprehendentes, domo & urbe eduxerunt, monueruntque, ut quin oculos poſt terga deflecterent, ſibi fugâ proſpicerent, ne iiſdem, quibus cœteri, calamitatibus obruerentur. Tunc Loth, ut vicina urbs, quam modicam eſſe, etiam at-

que

que etiam repetebat, à communi fatu libera permitteretur, ſibique in eam tutò perfugere liceret, ab Angelis impetravit. Hinc urbi illi nomen *Segor*, nempe parvula, dicta eſt. Hebræi pro Segor, ſive Segora, legunt *Zôara*. Aliud ejus nomen *Bala* (*a*); ideò autem nomen Bala urbi obtigiſſe reputant nonnulli, quòd vix digreſſo ex eâ Lotho, ſubitâ terræ concuſſione deglutiretur; Bala enim Hebraicè eſt deglutire (*b*).

Sodoma & finitimæ urbes incenduntur. Mare Mortuum.

VI. Exoriente Sole, urbemque Segor ingrediente Lotho, Deus Sodomam, & Gomorrham, vicinaſque urbes Seboim & Adamam (*c*), quæ iiſdem flagitiis tenebantur, combuſſit. Pluviâ enim ignis & ſulphuris ex aere dilapsâ, immiſſis ſcilicet è Cœlo latè ignibus, crebriſque contortis fulminibus, incenſo ſoli bitumine, quod in eâ regione regnabat, flammæ erumpentes urbes incolaſque abſumpſerunt; quin & ſolum ipſum combuſtilibus materiis refertiſſimum igne impunè graſſante vaſtatum eſt. Summo alterius diei mane Abrahamus è valle Mambre proſpiciens, totam eam regionem nigro quodam fumo, & flammis inſtar fornacis ardentem horrentemque ſpectavit. Porrò ager ille olim amœnitate ſuâ & fertilitate inclytus ſemel incendio vaſtatus, ſubſidentibus ſoli partibus, hinc inde humilior nonnullis in locis factus eſt; ac

(a) *Geneſ. XIV. 2.*

(b) *Hieron. qq. Hebr. Theodoret. q. 70. in Geneſ. Procop.*

(c) *Deuter. XXIX. 23. Oſee XI. 8. Sap. X. 6.*

ac proinde aquæ Jordanis proprio pondere eò ſe devolventes ſtagnarunt, tetraſque ibi qualitates illas contraxerunt, quæ in Mari Mortuo notantur, appellato à Græcis *Lacu Aſphaltite*, ſeu bituminoſo, ab Hebræis *Mare Salis*; Aſphaltum enim, ſeu bitumen & nitrum, Salis nomine comprehendunt Hebræi. Mare autem Mortuum idcircò appellatur, quod nullum ex animantibus foveat; quare ſi aquarum impetu projectus piſcis aliquis illuc deferatur, ſtatim ſuffocatus aquis innatat. Joſepho authore, à confluentiâ Jordanis uſque Segor lacus iſte 580. ſtadiis in longum porrigitur; in latum verò tractum occupat 150. ſtadiorum. Aquarum ſapor amariſſimus; ipſæ quin aquæ craſſitudine & pondere ita natantes ſuſtinent, ut difficillimè etiam volentes conanteſque demergantur. Sterile litus, craſſus aër & fumoſis exalationibus gravidus. Provenientes in ſolo fructus aſpectu delectant: decerptos verò ſi quis cultro vel morſu tentaverit, continuò in cineres evaneſcunt. Tradit Joſephus, circumjacentem urbibus, cœleſti igne vaſtatis, agrum incendii etiam reliquias ſervare, & combuſtarum urbium extare veſtigia (*a*). Paria tradit Strabo (*b*), deſcribens ambuſtos igne lapides, quorum aliqui pice fluebant, uti & ſolum cinereum, everſarumque urbium rudera. An autem Sodoma, Gomorrha, Seboim & Adama in lacûs alveo, ſive ad illius litus jacerent, ambigitur. Aſſerunt Itinerantes,

cum

(a) *De Bello l.5.c.5.* (b) *Strabo l.16.*

cum aquæ deſcreſcunt, ſpectari intra alveum urbium rudera; aliaque multa in eam rem adducuntur. Fateamur viciſſim oportet, ita interdum agi in Scripturâ & apud Auctores de urbibus illis, veluti ſi poſt ætatem Moyſis adhuc ſubſiſterent. Ut concilientur ſententiæ, dicendum, quatuor urbes conflagraſſe, abſortaſque in Mare mortuum; dein verò reſtitutas fuiſſe alias cognomines urbes, è regione veterum, in littore ejuſdem maris.

VII. Uxor Lothi facilè cunctationem in gradiendo affectans, nec ſequuta ponè Angelos, conjugem & filias, cum illis Segor non pervenerat. Inter eumdum perſtrepentia tonitrua atque igneæ pluviæ ſonitum exaudiens, contra Angelorum præceptum oculos convertit ſpectatura, num ultio illarum urbium ea eſſet, quam Angeli prædixerant. Nec mora; pœna ſive de cunctatione, ſive de inobedientiâ, ſive de fide dubiâ hæſitantique, ſumpta eſt, *verſâ illâ in Salis ſtatuam*: Salis, inquam, metallici & ſolidi, cujus generis occurrit in montibus Poloniæ, Hungariæ, Catalauniæ, & Moſcoviæ. Sunt, qui textum ita reddant: *Immobilis evaſit ut Statua Salis*. Alii: Obiit illa dolore oppreſſa, riguitque ejus cadaver tanquam ſtatua; Sal exprimit durum aliquid & rigens. Alii: Obriguit tanquam ſtatua in regione illâ Salis; in regione ſcilicet Sodomiticâ, nitroſâ maximè & ſalinâ. Alii, in ejus ſepulcro columnam ſive Salis monumentum erectum ferunt. Alii flammis corre-

Uxor Lothi in ſtatuam Salis convertitur.

ptam documentum *Salis* ſeu incredulitatis & imprudentiæ ſuæ monumentum evaſiſſe malunt. Sed hæc violenta vel ad ſenſum apparent, omnemque miraculi rationem ſubmovent. Meliora ſentiunt, qui reputant, ignem, quo Sodoma & circumjecta illi regio exarſit, calore ſuo nedum præfocaſſe fœminam, ſed & meatus in in illius corpore aperuiſſe, ut facilè Salis particulæ, aerem undique obſidentes, totum pervaderent; quibus ſubeuntibus rigor ſtatim in membris ſucceſſit, tunc & in Sal latè undique regnans tranſire fœmina viſa eſt. Scimus, agreſtes quoſdam peſtilentis aeris afflatu, dum terra concuſſione quâdam pulſaretur, ita correptos fuiſſe, ut ſubitò in ſtatuas veluti Salis tranſmutarentur (*a*). In Arabiâ, quæ regioni Sodomiticæ adjacet, regnat virtus quædam lapidifica, quâ corpora, ſi fortè ibi diù perſeverent, tranſeunt in lapides (*b*). Apud Ægyptios, ex quibus Hebræi pedem referebant tunc, cum Moyſes hanc illis hiſtoriam ſcriberet, cadaveribus condiendis maximè in uſu erat nitrum, ſive Sal opobalſamo admixtum. Corpora illa ita condita & rigentia, quæ nos *Mumias* appellamus, *Statuas Salis*, vel *ſalitas* meritò nuncupares; quod ab Herodoto, & Diodoro Siculo factum legas non ſemel. Hæc facilè intelligebant Hebræi, cum de ſtatua ſalitâ, vel ſalis audirent. Reputare

(a) *Aventinus Annal. Bojorum apud Heidegger. hiſt. Patriarch. tom.*2. *Exercit.*8.

(b) *Secrets de l'Abbè Rouſſeau.*

tare igitur commodè poſſumus, mulierem illam, ſive fumo glomerante, ſive flammis, aut ſulphure ſuffocatam corruiſſe in terram, atque nitro & ſale penetrante adſtringenteque in lapideam materiam tranſiſſe, incorruptionem induiſſe. Nec inficias iverim, adfuiſſe in hac metamorphoſi prodigium; ſermo enim apud Moyſem videtur eſſe de ſubitâ & extraordinariâ tranſmutatione, non ſenſim & à naturâ inductâ, ſed ſtatim à Deo, qui cauſas naturales & rerum diſpoſitiones ſuis conſiliis ſervire jubet. Itinerantes plurimi, qui Palæſtinam peragrarunt, uxorem Lothi, ſeu lapidem in quem converſa fuerat, ſe vidiſſe aſſeverant. Joſephus quoque affirmat oculatum ſe teſtem illud ſpectaſſe ſimulacrum; quod & manſurum ad exitum uſque Mundi aſſerunt Paraphraſtes Chaldæi, Jeroſolymitanus, & Jonathan filius Uzielis. Cum autem quidam ad Orientem, quidam ad Occidentem, ad Meridiem alii, alii ad Septemtrionem Maris mortui, nonnulli in ipſius medio, aliqui in Segor, alii denique ab hac urbe ſtatuam illam remotiſſimam ponunt, cui fides habenda eſt? Habemus utique perſuaſum, abuti populos ejus regionis itinerantium credulitate, innumeras illis fabulas venditantes. Ex antiquis nonnulli ſcripſerunt, ſtatuam priſtinam humanam formam ita retinuiſſe, ut quanquam ex eâ maſsâ plura fruſtula ſibi quiſque itinerantium tolleret, nihil tamen è ſimulacro illo, ſive de mole, ſive de artuum compage decederet; Remque

que addunt ſanè incredibilem, quòd nempe infirmitatibus propriis, & muliebri ſexui conſuetis adhuc laboret (*a*).

Dicitur & vivens alio ſub corpore, ſexûs
Munificos ſolita diſpungere ſanguine menſes.

Lothi inceſtus, cum filiabus, ex quo Moab & Ammon.

VIII. Sodomæ finitimarumque urbium incendio territus, & diutiùs in Segor degere veritus Loth, in proximi montis ſpecum unà cum filiabus se contulit. Segor tunc facilè & ipſa communi exterminio abſumpta eſt. Porrò filiæ Loth, homines omnes igne interiſſe, eòque Mundum redactum, quò olim poſt Diluvium, ſibi ſuadentes, ac niſi per se ipſas novis incolis donaretur, defecturum, patrem inebriarunt, ne horrore actionis, quam meditabantur, retineretur; natuque major, quin rem ille perciperet, ex eodem filium concepit, qui *Moab*, *Genitus* nempe *à patre*; ſive ut fert litera *Aquæ patris*; Moabitarum auctor extitit. Altera verò filia & ipſa ex patre iterum inebriato, nocte ſequenti concepit *Ammon*, *Filius* ſcilicet *populi mei*; ex quo deinde Ammonitæ. An autem ab ebrietate & inceſtu omne crimen abſuerit, non eſt facilè definire. Origenes ebrietatem Lothi criminis aliquid habere fatetur, quòd largiùs vinum ingurgitarit. Inceſtum

(a) *Tertullian.*, *ſeu alius in Proœm. Carm. de Sodom. Iren. l.* 4. *c.* 51. *Sedul. & Claud Victor. l.* 3. *in Geneſ.*

ſtum verò illius excuſat, quòd nihil de eo norit. Apologiam autem pro fœminis illis texuit; ita tamen ut illas nequaquam prorſus eximendas à crimine arbitretur; eamque claudit illis verbis: *Vereor, ne caſtior fuerit harum inceſtus, quàm pudicitia multarum (a)*.

IX. Interea Sara concepit juxta verbum Domini; & Abrahamus relictâ convalle Mambre, fortè quòd Sodomæ incendium aërem corrupiſſet, ad meridiem progreſſus, ſubſtitit in Geraris, ubi regnabat Abimelech. Metuens autem, ne raptâ ab incolis Sarâ, ipſe occideretur, ſororem ſuam, ut olim in Ægypto fecerat, prædicavit. Nec vanus timor; nam Rex pulchritudine Saræ captus, illam rapuit. Mirus ætate annorum 90., ac ventre prægnante fœminæ decor! Deus autem, ne illam tangeret, prohibuit. Apparens enim Abimelecho per noctem, mortem illi minitatus eſt, ni ſtatim viro ſuo Abrahamo illam redderet. Qui factum ignorantiâ excuſans, utpote qui ſororem Abrahami, ut ipſe Abraham dixerat, & Sara confirmarat, non uxorem crederet; ſtatim ac dies illuxit illam Abrahamo reddidit, conqueſtus se ab illo deceptum. Abrahamus verò confeſſus illam ſibi eſſe uxorem, ſororem pariter eſſe dixit, cum uno ex patre ambo, matre verò diverſâ nati forent. Rex illi oves, boves, ſervos & ancillas munerum loco elargitus eſt; Saræ autem dedit mille argenteos, ut

Abimelechus ob Saræ raptum correptus.

(a) *Hom. 5. in Geneſ.*

ut velum ad tegendam ſibi faciem emeret. Quorſum hæc? Quò velum precioſum haberet, ut decet honeſtiſſimas fœminas? An potiùs ut velata procedens, eo ſigno nupta ab omnibus noſceretur, ſimulque vultûs elegantiam velo obtegeret? Hæc prorſus; nam adjecit Rex mulieri: *memento te deprehenſam*; quibus monuiſſe videtur, ne ſimili periculo in poſterum se exponeret. Abrahamum deinde Rex, ut in ſuâ ditione moraretur, invitavit, illum obteſtans, ut plagas ſibi, ſuæque familiæ ob Saram illatas à Domino auferri precaretur. Quod cum Abrahamus feciſſet, ſanitatem omnibus, fœcunditatemque, quâ deſtituebantur, Deus reddidit. Ex hac narratione intelligimus, Regulum illum nec cognitione Dei, nec timore deſtitutum, æquitati ſtuduiſſe, crimen horruiſſe; nondum enim idololatria & iniquitas univerſam latè regionem corruperat.

Oritur Iſaac. Agar & Iſmaël ejiciuntur; cujus viri poſteritas recenſetur. Fœdus Abimelechi cum Abrahamo. Iſaacus ad ſacrificium adducitur. Saræ obitus.

CAP. IV.

Anno Mundi 2108. Ante Chriſtum 1892. *Iſaac oritur.*

I. CEntum annorum ætatem agebat Abrahamus, cum ei Sara peperit filium, juxta ac Dominus anno ſuperiori promiſerat; quem pater, *Iſaac*, ſive *Riſus* appellavit; ad riſum nem-

nempe, quo promiſſiones ſibi factas à Deo olim exceperat, ſive ad gaudium de filio genito alludens; illumque octavâ die circumcidit. Crevit infans; cumque ablactatus fuiſſet, Abrahamus amicis ſuis convivium paravit. Geminæ erant de ablactandi ætate ſententiæ apud Hebræos; factum id cenſentibus aliis anno ætatis quinto, aliis verò duodecimo (*a*). Sub Macchabæis tamen triennio lactabantur infantes (*b*). Rabbini autem jubent matres biennio ſaltem filios lactare; biennium pariter præſcribit Alcoranus (*c*). Aſſerit Bellonius, non niſi unico anno, ſeu decem menſibus lac filiis Turcicas matres præbere (*d*).

II. Non diù poſt hæc, Sara filium ſuum cum Iſmaele ludentem, ſive ut habet Apoſtolus (*e*), ab eodem iniquiùs habitum nacta, dixit Abrahamo, ut Agarem ancillam, & filium ejus domo ejiceret, hæreditatemque uni Iſaaco reſervaret. Quid ſibi velit ille luſus, non una eſt ſententia; poteſt enim uſurpari de luſu oblectationis causâ, de irriſoriâ illuſione, de injuriâ, quò Apoſtolus ſpectare videtur. Tradit Clarius, in ſolemni illâ amicorum invitatione, cum ablactaretur Iſaac, gratulantibus omnibus cum Abrahamo, unum Iſmaëlem omnia de ridiculo traduxiſſe. Sunt qui velint, Iſmaëlem

Anno Mundi 2115. Ante Chriſtum 1835.

Agar & Iſmaël ejiciuntur.

(a) *Hieron. qq. Hebr. c.* 10.
(b) 2. *Macch. VII.* 27.
(c) *Azoar.* 2. *apud Selden. uxor Hebr. l.* 3. *c.* 11.
(d) *Obſervat. l.* 3.
(e) *Galat. IV.* 29.

lem conſilium agitaſſe fratrem occidendi, ne ad illum hæreditas, quam ſibi ſperabat, perveniret. Cenſent Hebræi, Ismaëlem ad idololatricos cultus Iſaacum provocaſſe. S. Hieronymus arbitratur, Ismaëlem ſibi facilè per ludum uſurpaſſe jura primoris natu.. Saræ expoſtulationes Abrahamo, qui Ismaëlem amabat, duriores videbantur; ſed mox à Deo monitus, genuinos ſucceſſores repetendos illi ex Iſaaco, quem promiſſa ſæpiùs ab eo facta ſpectabant, acquievit, ac Matrem filiumque remiſit, panibus & utre aquâ pleno Agaris humeris impoſitis. Porrò mulier illa in Ægyptum patriam ſuam ire contendens, in ſolitudine, Beerſabee deinde deſerto vocatâ, errabat; cumque aqua defeciſſet, Ismaële præ ſiti ad extrema properante, ſub arbore quâdam relicto, quantum eſt teli jactus, inde procedens, conſedit, ne illum animam agentem videret, lacrymis tantùm & ejulatibus intenta. Verùm Angeli voce excitata, ut filio, innumeri populi parenti futuro, potu conſuleret, puteum illicò vidit, ex quo aquam exhauriens, filium recreavit. Eo loci rara eſt aqua: Arabes autem, quos effoderant in deſerto puteos, ſabulo tegebant, illiſque deinde agnoſcendis indicia ſibi tantùm cognita ponebant.

Ismaelitæ & Arabes. III. In deſertum Pharan Agar progreſſa unâ cum filio; qui ibi domicilio conſtituto intorquendis ſagittis maximus evaſit, & matre conciliante uxorem Ægyptiam duxit, à quâ duodecim

decim liberos ſuſcepit, nempe Nabajoth, Cedar, Abdeel, Mabſam, Maſma, Duma, Maſſa, Hadad ſeu Hadar, Thema, Jethur, Naphis, & Cedma. Fœminam quoque genuit, quam Meheleth, ſeu Baſemath appellatam, Eſau conjugio ſibi adjunxit (*a*). Regiones ab Hevila ad fauces, quibus Tigris & Euphrates miſcentur, uſque Sur ad Iſthmum, qui Ægyptum ab Arabiâ disjungit, Ismaëlis poſteri incolebant (*b*); qui ab Agar *Agareni* dicti ſunt, à regione autem Arabiæ, quam poſſederunt, *Arabes*. Appellati etiam fuerunt *Saraceni*, non quidem à *Sarâ*, ut nonnulli putarunt, ſed à *Sarac*, una ex illorum regionibus, vel potiùs à verbo *Saracb*, ſcilicet *prædari*; cum ex illis plerique prædonum vitam exerceant. Particularia quoque nomina Nabajoth, Cedar &c. particularibus gentibus Nabathæorum, Cedræorum ſive Cedarenorum &c. nomina fecerunt. Ex duodecim Ismaëlis filiis duodecim Tribus Arabum, quarum nonnullæ adhuc extant (*c*), adinſtar Israelitarum egreſſæ fuerunt. Prophani Tribuum Arabum Principes *Philarchas* vocant; quos Arabes ipſi *Scheich-Elkebir*, hoc eſt, Magnos Seniores, appellant. Jectan filius Heber, conſtitutâ in Jemen ſede, Regnum ibi fundavit. Qui patri ſucceſſit filius *Jarab* longè latèque vernaculum Arabum ſermonem prorogavit; de

(a) *Geneſ. XXV.* 13. *& XXXVI.*3.

(b) *Geneſ. XXV.* 18.

(c) *Thevenot p.*1.*l.*2. *c.* 32.

bat enim, ne Abrahamus, cujus opes & potentia in dies augebantur, ulciſceretur de injuriâ, quâ familiares ſui aquæ puteum ad illum pertinentem, ac plurimi æſtimatum in regione illâ arenti, occuparant. Quare virum rogavit, ut memor, quòd illi in Gerara morari, paſcua etiam & puteos effodere, non prohibuiſſet, juraret, ſe nunquam in illum ejuſque filios & nepotes arma ſumpturum. Morem geſſit Abrahamus; oblatiſque ab eo ovibus, & bobus, quas pro fœdere ſolemni ritu celebrando Abimelechus immolaret, pax firmata eſt. Dedit deinde illi & ſeptem agnas muneris loco vel pretii pro puteo, quem in fundo Abimelechi Abrahamus effoderat; quas & monumentum voluit extare pactionis cum illo ſancitæ. Idcirco puteus ille appellatus eſt *Beer-ſabee*, ſcilicet *Puteus juramenti*, aut *Puteus ſeptem*; ſeptem enim oves in jurati fœderis monumentum exhibitæ fuerunt. Poſt hæc aliquandiù in Gerarâ Abrahamus commoratus eſt, ubi nemus, ſive viridarium plantavit, in quo & Altare ad actiones ſolemnis Religionis exercendas, erexit. Viri illius ætate nullibi locorum erecta credimus Templa, ſed tantummodo in collibus ſive nemoribus Altaria. *Fœdus inter Abrahamum & Abimelechum.*

V. Circa idem tempus, obtulit Deus Abrahamo opportunam exhibendi ſpecimen obedientiæ, ſpei & fidei, & ex inde ſolidæ ſibi acquirendæ gloriæ occaſionem. Aſſume, inquit, filium tuum, filium unicum, filium, quem ſum- *Abrahamo præcipitur, ut immolet Iſaacum.*

mâ

mâ proſequeris charitate, Iſaacum, teque committe viæ quam tibi oſtendo; nec ſiſte quoad uſque locum, & montem tibi deſignem, in quo illum in holocauſtum immolabis. Summo mane conſurgens Abrahamus manibus ipſe ſuis ſternit aſinum, impoſitiſque ei lignis pro ſacrificio, viam ingreſſus eſt unâ cum filio & duobus famulis, quò eumdum eſſet, incertus. Tertia itineris die Deus indicia præbuit Abrahamo, quibus deſtinatum ſacrificii locum agnoſceret. Ad radices & in conſpectu oſtenſi ſibi montis, ſervos juſſit ſubſiſtere, dum ipſe & filius illuc uſque properarent, ſacris ſolutis redituri. Melchior Canus (*a*) Abrahamum accuſare auſus eſt mendacii; quippe qui cum deſtinaſſet animo immolare filium, ſervis tamen contrarium dixit: *Revertemur ad vos*. Immeritò tamen; nam vir ſanctus grandi illâ quâ erat fide de promiſſionibus ſibi à Deo factis implendiſque non in filio illo tantùm, ſed & in poſteris ejus, ne ambigens quidem credidit futurum, ut Deus, qui ſibi filium prodigio dederat, prodigio pariter revocatum ad vitam, patri reſtitueret; vel quòd contentus promptâ patris obedientiâ, ſacrificium remitteret; ex quibus opinionibus priori favere videtur Apoſtolus: *Arbitrans, quia à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus* (*b*). Sunt tamen qui credant, verba illa latentem referre conditionem; veluti ſi diceretur: Revertemur, ſiquidem

(a) *De Locis Theolog. l.2. c.4.*

(b) *Hebr.XI. 17.*

quidem Deo placuerit, ſi vixerimus. Subſiſtentibus famulis cum aſino, Abraham Iſaaci humeros oneravit lignis ad abſumendum holocauſtum deſtinatis; ipſe verò ſuis manibus ignem & gladium portabat. Dum irent, filius ad patrem ait: Ignis & ligna præſto quidem ſunt: ſed victima pro holocauſto ubi eſt? Cui ille: Deus providebit ſibi victimam. Ut igitur ad locum pervenerunt, ædificato altari, compoſitiſque ſuper illo lignis, Abrahamus filium ætatem 25. annorum, & fortaſſis etiam majorem, agentem, pro victimâ immolandum colligavit; elatâque manu ferro inſtructâ, jam prope erat, ut ipſum jugularet, cum ſubitò Angelus de Cœlo clamans, ne quid in filium attentaret, imperavit: Satis enim novi, ait, te Deum timere, cui ut parêres, filio non peperciſti. Circumſpiciens Abrahamus arietem vidit inter vepres hærentem cornibus, quem pro filio immolavit, locumque appellavit: *Dominus videt*; ſive: *Dominus providebit*. Hinc proverbii loco obtinuit, ut in aliquo rerum diſcrimine diceretur: *In monte Dominus providebit*; ac ſi diceretur: Succurrere Deus novit, quamquam in eo verſaremur diſcrimine, quo Abraham in monte. Nomen autem illud loco indidit Abrahamus, quod interroganti filio de victimâ reſpondit pater: *Deus providebit*. Inde ſubdidit Angelus: Per memet juro, ait Dominus, me hac tua obedientia devinctum bonis omnibus te cumulaturum, poſteros verò tuos nedum ſicut

Stellas Cœli, & arenam maris auctūrum, ſed & imperio in hoſtes ſuos ornaturum. Ad hæc, *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*.

Nonnulla de Abrahami ſacrificio adnotantur.

VI. Si quis per totam Abrahami vitam diſcurrat, nihil ſatis dignum è bonis temporalibus collatum viro huic deprehendet, quod promiſſionibus illis factis, ac ſæpè repetitis reſpondeat. Plura & maxima collata Iſaaco, Jacobo, Davidi, Salomoni, Abrahami poſteris, non diffitemur. Sed numquid in aliquo ex illis *benedictæ fuerunt omnes gentes terræ*? Meritò ergo Apoſtolus de Jeſu Chriſto, qui & ipſe carnem ex Abrahamo traxit, cum totius Mundi fuerit Redemptor, benedictiones illas explicandas interpretatur (*a*). Recepta Judæorum & Chriſtianorum opinio tenet, montem, ad quem Abrahamus & Iſaacus aſcenderunt, fuiſſe montem *Moriam*, in quo poſtea Templum Jeroſolymitanum excitatum eſt (*b*). Textus enim Moſaicus ad literam fert, Deum dixiſſe Abrahamo: *Vade in terram Moriah*. Quidam tamen malunt Montem Calvariæ. Samaritani pro *Moria* legentes *More*, miſſum à Deo Abrahamum volunt ad More, juxta Sichem (*c*), atque ſacrificii certum locum Montem Garizim deſtinatum tradunt. Porrò Nomen Moria plura ſignificare poteſt, Amaritudinem nempe Domini, Myrrham Domini, Doctrinam vel timorem Domini; ex diverſis nempe radicibus, ex quibus illud

(a) *Galat.III.16.* (c) *Geneſ. XXI.* 6.
(b) *Paral.III.1.* *Deuter. XI.* 30.

lud deducunt Hebræi. Equiti Marſhamo, & Joanni Clerico perſuaſum eſt, Phœnicum & Chananæorum exempla, qui Diis ſuis humanas victimas offerebant, plurimùm contuliſſe ad minuendum horrorem Abrahami, parantis se se offerre in ſacrificium Iſaacum. Verùm pictas & ſapientia illius Patriarchæ tanta profectò erat, ut mos ille crudelis, potiùs virum magis magiſque ab imitatione retrahere, quàm ad illam impellere poſſet: planèque alienus erat ab emulandis gentibus illis, quarum mores æquè ac idololatriam deteſtabatur. Ad hæc, fuiſſe ante Abrahamum homines, quibus mos fuerit immolandi filios ſuos, nihil certi eſt, quod ſuadeat. Refert quidem Sanchoniaton, eumdem morem primùm obtinuiſſe à Saturno vel Ilo, cum natum ſibi filium Jehud è Nimphâ Anobret, immolavit (*a*). Sed nobis complurium virorum doctiſſimorum ſententia probatur, Sanchonitanem nunquam inter homines fuiſſe, ejuſque hiſtoriam puram putamque eſſe fraudem, quam ad minuendam Sacrarum Scripturarum authoritatem Porphyrius excogitarit. Quamvis autem vera narraret, cum Saturnus, Jovis pater, multò poſterior ſit Abrahamo, atque etiam Moyſe, utpote qui rejicitur ad Judicum ætatem; ideò exemplum illius, nihil in Abrahamum valere potuit. Multò veroſimilius reputaremus, Abrahami exemplo factum eſſe, ut nonnullæ gentes crederent, rem Diis gratiſſimam

(a) *Apud Euſeb. Præp. l.4. c.16.*

mam ſe præſtituros, ſi filios ſuos, nempe rem omnium maximè charam, offerrent. Quid conſilii agitaret Abraham, quid mandati tuliſſet Deus, noratne Sara? Hæc quæſtio in utramque partem agitatur. Sententiæ neganti favet quidem Scripturæ ſilentium. E' re tamen Abrahami fuiſſe videtur, ut ſiniſtras omnes ſuſpiciones præcaveret, quas de illo, ſi Deus permiſiſſet, ut mandatum Abrahamus exequeretur, Sara efformaſſet; inſtrueretque tantæ virtutis & fidei uxorem, nullum eſſe ambigendi locum, quin Deus ipſe juſſiſſet, filium immolari. Credulitate diſcipulorum abutuntur Rabbini, cum venditant, Saram oppreſſam interiiſſe, narrante Dœmone, Abrahamum immolandi Iſaaci filii ſui conſilium iniviſſe. Hæc enim fœminam illam reſciiſſe à marito, ſaltem cum à monte regreſſus eſt, par eſt, ut credamus.

Anno Mundi 2145. Ante Christum 1855. *Saræ obitus.*

VII. Aliquibus annis, quos ad duodecim determinat Uſſerius, poſt deductum ad ſacrificium Iſaacum, Sara 127. annorum grandæva diem clauſit in valle Hebronis, alio nomine Arbee; quo tempore Abrahamum fuiſſe in Berſabee, quò à monte Moriâ redierat, vero propius eſt. Auditâ autem illius morte ſtatim venit in Hebron ut illam fleret, funeriſque officium redderet; cumque defunctæ corpori aſſidens juſta perſolviſſet, ad portam civitatis ſe ſe contulit, ibique à cœtu incolarum Hebronis, qui ex Heth ſuam repetebant originem, petiit ſepulchrum pro uxore, quod illi tanquam advenæ

venæ abſque injuriâ negari potuiſſent (a). Annuentibus illis quàm humaniſſimè, Abraham paria redditurus ſurrexit & proſtratus gratias egit; rogavit deinde, intercederent pro se apud Ephronem filium Seor, ut ſibi precio concederet Speluncam *Macphela*, quam in extremâ agri ſui portione poſſidebat. Hebræum Macphela eſt duplex; quod opinionem induxit, ſpeluncam illam, ſive ſepulchrum nomen retuliſſe *duplicis*, quod duplicem cellam ſive loculum, duplici cadaveri recondendo contineret. Alii tamen credunt, Macphela nomen fuiſſe agri illius peculiare. Sunt etiam, qui velint, Macphela apud Arabes ſonare clauſum, ut innuatur, ſpeluncam illam in petrâ exciſam, muro vallatam fuiſſe, ne quid minimùm violaretur. Ephron, quem de facie non noverat Abrahamus, cum fortè adeſſet, ad viri petitionem repoſuit, gratis se illi daturum & agrum, & ſpeluncam. Tunc Abrahamus inclinans ſe Ephroni coram omnibus, actiſque gratiis; Si tu, inquit, recuſas precium meum, nunquam ego admittam agrum tuum. Cui alter: Terra quam poſtulas, quadringentis ſiclis argenti valet. Hac autem pecuniâ Ephroni coram omnibus urbis incolis ſolutâ, ager cum ſpeluncâ, & omnibus arboribus, quæ in eo erant, ceſſit Abrahamo; ſtatimque corpus Saræ, facilè conditum, ſepulturæ mandatum eſt. Diſcimus hìc veterem tranſigendi ritum. Pacta conventa fiunt in cœtu po-

 puli

(a) *Gen. XXIII.*

puli & ſeniorum; ſolvitur pretium, & traditur poſſeſſio. Syngrapharum ne veſtigium quidem ante Moyſem apparet. Notat Scriptura Abrahamum *ponderaſſe* 400. *ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ*, vel juxta Hebræum & Septuaginta, *argenti admiſſi apud Mercatores*: quæ quidem uſum pecuniæ evidentiſſimè oſtendunt; ſed quænam illa? ſignatane & pondere uniformi, uti apud nos; vel tantùm rudis & infecta, probata tamen & qualitate metalli & pondere, ut ſiclus moneta non fuerit, ſed commune omnibus rebus pendendis pondus? Hæc prorſus.

VIII. Arduum eſt hac in emptione, quòd S.Stephanus appellat Hemor filium Sichem virum illum, qui hìc eſt Ephron filius Seor (*a*). Hujus autem rei in causâ eſſe poteſt, quòd binomines eſſent viri illi. Nonnulli ſuſpicantur, mendoſum eſſe Actorum textum, confundentibus Amanuenſibus emptionem agri ex Hemor filio Sichem per Jacobum factam (*b*) cum eâ de quâ modò; obtrudentibuſque in Actis nomen Abrahami, quo loco ſubintelligebatur nomen Jacobi, paulò ante expreſſum. Ego autem ut dicam textum ejuſmodi eſſe mendoſum, Religione abſterreor. Putavit Canus (*c*), S.Stephanum memoriæ lapſu hæc expreſſiſſe; noluiſſe autem S.Lucam, cum illius verba referret, errorem corrigere, ne hiſtoricæ veritati & fidei deeſ-

(a) *Act.VIII.16.*
(b) *Gen.XXXIII. Eugub.Maſ.Toſt.*
(c) *De Locis l.* 2. *c.* 18.

deeſſet vel minimùm ; ſanctè enim retulit, quæ alter affatus eſt. Verùm ſemel admiſſo, S.Lucam ſive alium quemcunque ſacrum Scriptorem nobis, ne admonitis quidem, falſa retuliſſe; quis certò unquam ſibi ſpondere poteſt, nequaquam illos nobis imponere, tunc maximè cum ea referunt, quæ aliorum relatione didicerunt?

Nachor Poſteritas. Rebecca in Iſaaci conjugem deligitur. Cethura Abrahami uxor. Hujus Patriarchæ obitus & laudes, Eſau & Jacob naſcuntur; quorum major minori primogenita vendit.

CAP. V.

I. NAchor frater Abrahami ex Melchâ nepte ſuâ, quam in uxorem duxerat, filios *Nachor poſteri.* ſuſcepit Hus, Buz, Camuel, Caſed, Azan, Pheldam, Jedlaph, & Bathuel Rebeccæ patrem. Habuit etiam ex Româ concubinâ filios Tabee, Gaham, Tahas, & Maacha (*a*). Hus frequentavit Auſitidem in Arabiâ deſerta, unde Job originem ſuam traxit. Ex Buz nomen retuliſſe Arcem Buſan in Meſopotamiâ, de quâ Ammianus, cenſet Grotius. Eliu Buſites, in Jobi hiſtoriâ notus, hinc fortè ortus eſt. Camuel creditur pater Camelitarum, gentis in Syriâ, vel in Aram ad Occidentem Euphratis, conſtitutæ. Ex Caſed Chaldæi, ab Hebræis

(a) *Geneſ. XXII. 20.*

Caſdim appellati, repetuntur. Minimè tamen cenſerem, Caſed omnium Chaldæorum authorem fuiſſe; nomen enim Caſdim uſurpatur de pluribus Gentibus ultra citraque Euphratem, inter quas confuſi poſteri Caſed ſedes habebant. Roma Septuaginta eſt Reman; quo nomine quædam in Meſopotamiâ Urbs appellatur.

Anno Mundi 2148. Ante Chriſtum 1852. *Eliezer in Meſopotamiam mittitur.*

II. Cum autem Abrahamus ſe ſeneſcere ſentiret, velletque Iſaaco filio ſuo ex familiâ Nachor uxorem quærere, in Meſopotamiam ad Urbem Haran, ubi ille morabatur, & ambitas nuptias conciliaret, Procuratorem domûs ſuæ miſit. Procurator iſte creditur Eliezer, in quem adeò pendebat Abrahamus, ut in hæredem ſuum deſtinaſſet, ſi quidem liberis caruiſſet (*a*). Cùm in Meſopotamiam Eliezerus mitteretur, adactus eſt ab Abrahamo, ut poſitâ manu ſub illius femore juraret, ſe fœminam nullam ex maledictâ Chananæorum ſtirpe Iſaaco procuraturum; ſed è patriâ tantùm & cognatione ipſius Abrahami. Quid autem ſibi velit cæremonia illa ponendi manum ſub femore, diſſentiunt eruditi. Patrum & recentiorum Interpretum nonnulli, eo jurandi ritu inſinuatum cenſent adventum Meſſiæ, è femore, ſive genere Abrahami orituri, cujus nomine exigeretur ſacramentum. Tradunt Judei Abrahamum famulum ſuum jurejurando obſtrinxiſſe per Circumciſionem, characterem tum veræ Religionis. Grotio aliud ſuccurrit. Cum enſis ad femur deferretur ſuſpenſus, reputat ille,

(a) *Gen.XV.* 2. *Vide ſupra l.2. c.2. n.1.*

le, eo modo jurantem fidem verbis ſuis datam ita ſe ſervaturum proteſtari, ut ſi ab eâ deficeret, enecandum ſe profiteretur. Novum aliud proponit Clericus. Ponere manum ſubter femur alicujus ad famulum ſpectat dominum ſuum in equum levantem. Conſtat utique, lorum illud ferreis nexibus equitis pedes regens, novum eſſe inventum, cui deſignando nomen deeſt ſive in Græco, ſive in Latino Sermone. Eâ cæremonia Eliezer dicto Domini adamuſſim obſecuturum ſe pollicitus fuiſſet. Quid quid tandem illud fuerit, Eliezer interrogavit Abrahamum, an ſibi liceret in Meſopotamiam deducere Iſaacum, ſiquidem mulier, in uxorem illi adlecta, in Chanaanitidem ad maritum venire recuſaſſet? Quod illi omninò prohibuit, cum Deus Terram Chanaan ſibi ſuiſque poſteris promiſiſſet. Selegit deinde famulus ex grege Domini ſui decem camelos, cumque illis impoſuiſſet ditiſſima quæque & pretioſiſſima domûs Abrahami, pro dote ſponſæ Iſaaci deſtinatâ, juxta receptum ætatis & regionis illius morem, Haran versùs iter ſuſcepit. Eò ſub veſperas poſt aliquos itineris dies perveniens, camelis in genua procumbentibus in requiem extra urbem, ut ſigno divinitùs dato, futura Iſaaco ſponſa ſibi manifeſtaretur, fuſis ad Deum precibus poſtulabat. Rogabat autem, ut quæ inter puellas ad hauriendam aquam è vicino fonte ſibi occurrentes non ſibi tantùm petenti, ſed & camelis ne requiſita quidem potum offerret, illa eo indicio ad nuptias deſtina-

ta

ta oſtenderetur. Inter hæc Rebecca filia Bathuelis, quantùm videtur, jam fatis functi, ſupervênit, impletâque aquâ lagenâ domum revertebatur; quæ ab Eliezero rogata, uti ſibi potum daret, nedum illi, ſed & camelis ipſius præſto ſe obtulit, ſpeciem, quâ nitebat, hac comitate officiiſque commendans. Eliezerus lætus eventu, puellam, camelos adaquantem tacitus contemplabatur; cumque officium illa abſolviſſet, eam geminis inauribus aureis, ſingulis ſiclum pondere æquantibus, totidemque armillis, pondo ſiclorum decem, donavit. Etſi autem Hebræum *Neſem* Septuaginta & Vulgata *inaures* reddiderunt, agnoſcamus tamen oportet, id nominis ſignificare ſimilis generis ornamenta quæcunque appenſa in cultum muliebrem, ad aures, ad naſum, ad frontem, ad genas, quæ latè per totum fermè Orientem olim & hodie uſque obtinent. Requiſivit deinde Eliezerus puellam, cujus eſſet generis, & an domi hoſpitium haberet? Rebecca filiam Bathuelis ſtatim ſe prodidit, domi verò nihil defuturum ad hoſpitium pollicita eſt. Quibus auditis, Eliezer pronus in terram Deo gratias egit, quòd iter ſuum in beneficium Abrahami fortunaſſet.

Nuptiæ inter Iſaacum & Rebeccâ conciliãtur.

III. Puella domum feſtinans, quæ ſibi acciderant, narravit, ſtatimque Laban, frater illius, hoſpiti ad fontem extra urbem obviam factus, domum deduxit, menſamque appoſuit; ſed alter nunquam ſe cibum ſumpturum dixit, niſi priùs itineris ſui cauſam ſeriemque exponeret;

ret; quod cum feciſſet, Rebeccæ tandem cum Iſaaco nuptias propoſuit. Annuentibus Labano, & Bathuele, qui non pater, ſed frater Rebeccæ fuiſſe videtur, Eliezer novam dominam pronus ſalutavit; productiſque muneribus, ea Rebeccæ ejuſque parentibus in dotem, vel in arrahas & pignora futuri connubii exhibuit; quibus peractis, menſæ accubuit. Orto mane cum Eliezer diſceſſum urgeret; neque precibus fratrum & matris ſponſæ decem dierum moram rogantium flecteretur, tandem inter partes conventum eſt, ut Rebeccæ voluntas ejuſdem diſſidii arbitra conſtitueretur. Interrogata igitur ſponſa, num iter ſtatim capere mallet, malle ſe reſpondit; quare adprecantibus fratribus, ut poſteritas illius in dies aucta dominium ſuper hoſtes exerceret, eâdem die iter Beerſabee verſus, ubi Abrahamus degebat, nonnullis puellis, in famulatum datis, comitantibus, aggreſſa eſt. Cum illuc perveniſſet, Iſaacus è tentorio egreſſus in agrum, quò liberiùs cœleſtium contemplationi & precibus vacaret, procul videns camelos ſuos redeuntes, in occurſum venientium feſtinavit. Rebecca viciſſim eo conſpecto deſcendit de camelo, requiſivitque ab Eliezero quemnam obvium haberent? Reſpondit ille: Dominum meum: Ad quæ ſtatim Rebecca pallio operuit ſe ſe. Narravit deinde Eliezerus cuncta quæ geſſerat; quibus auditis Iſaacus Rebeccam accepit in uxorem, eamque in tabernaculum quod Saræ antea fuerat, introduxit; no-

voque

voque Sponſæ amore triſtitiam, quam de matris obitu conceperat, lenivit. Porrò Iſaacus tunc 40. annorum ætatem habebat.

Anno Mundi 2150. Ante Chriſtum 1850. *Abrahamus Cethuram uxorem ducit.*

IV. Narrat Moyſes poſt hæc, Abrahamum aliam duxiſſe uxorem, nomine Cethuram, quam Hebræi ipſiſſimam credunt Agarem, poſt obitum Saræ revocatam; alii verò ex Chanaanitide illam accerſunt. Omnium incerta fides. Mirum, Abrahamum, 140. annos natum, fœminam & fortè Chananæam, duxiſſe, ex eâque ſex genuiſſe filios! Sunt, qui velint, eum longè ante obitum Saræ & facilè poſt Agaris repudium, Cethuram duxiſſe, concubinæ, ſeu uxoris ſecundariæ loco, quandiù Sara viveret, habitam; Sarâ verò fatis functâ, in defunctæ locum, ſucceſſiſſe; Sacrum autem Scriptorem hìc extra proprium locum connubium Abrahami cum Cethurâ narraſſe. Nec ineptè textus Vulgatæ: *Aliam duxit uxorem*; juxta Hebræum verteretur: *Aliam duxerat uxorem*. Ut ut res habeat ſe ſe, abſit, in Abrahamo illâ ætate, & illâ ſanctitate aliquam incontinentiam ſuſpicemur. Si tertiam fœminam adſcivit in thorum, id utique eo præſtitit conſilio, ut liberos ſuſciperet, quibus incrementum veræ Religionis, Deique promiſſiones de florenti ſibi poſteritate factas, quantùm ex ſe, promoveret.

Anno Mundi 2168. Ante Chriſtum 1832. *Rebecca Eſau & Jacobum parit.*

V. Speratus ex conjugio Iſaaci cum Rebeccâ fructus, ſpatio 20. annorum deſideratus eſt. Orante autem marito uxor tandem geminos concepit fœtus; quibus inter ſe ſe in utero matris

tris colluctantibus Rebecca vehementer angebatur. Eâ de re conſuluit Dominum; redditumque ei reſponſum, duarum in ejus utero gentium authores contineri; quorum major junioris ſervitutem paſſurus eſſet. Quem virum adiverit eâ occaſione Rebecca, incertum. Alii Semum, alii Melchiſedechum, alii Heberum, alii Abrahamum malunt. Sunt etiam qui velint, fœminam illam ſacrificium in Altari ab Abrahamo in monte Moriâ, aut in nemore Beerſabee excitato, obtuliſſe; cujus merito Deus per quietem illi futurorum eventus aperuerit. Stato igitur tempore Rebeccâ duos gemellos pariente, primus rufus & vellere quodam ad inſtar urſi veſtitus prodiit; cui proinde nomen inditum *Eſau*, hoc eſt *Perfectus*, quòd ſcilicet, inquiunt nonnulli, villis hiſpidus editus ſit, veluti abſolutæ jam ætatis homo. Alii cenſent, id nominis *Cilicium* ſignificare (*a*). Alter ex Rebeccæ filiis, cum ederetur, prioris pedem manu tenebat; quem idcircò *Jacob*, id eſt, *ſupplantator* appellatus fuit. Hanc tamen vocem Philo (*b*) *Luctator* exponit, nempe *Athleta*, qui adverſarium ſuum pede apprehenſum dejicit.

VI. Cum ambo hi fratres adoleviſſent, Eſau venationi, & agrorum cultui, ſe totum impendit; Jacob verò homo frugi vitam à curis alienam ſub tentorio egit. Porrò Iſaacus in Eſau, quòd

Eſau Jacobo Primoris natu jura vendit.

(a) *Cleric. in Geneſ. hic.* (b) *De Migratione Abrah. p. 419.*

quòd de venatione ejus veſceretur, inclinabat, Rebecca autem in Jacobum. Quâdam die Eſau feſſus labore domum regreſſus, Jacobum, qui pulmentum ſibi ex lentibus paraverat, offendit; cumque partem illius poſtularet, negaretque Jacob ſe aliquid daturum, niſi jus Primogeniti jurejurando ſibi cederet, ille facilè petenti acquievit, neque quid feciſſet, ſatis perpendens voratis lentibus, receſſit. Exinde *Edom*, Rubeſcens ſcilicet, ſive Rubrus, viro nomen attributum, quod nempe jus Primogeniti precio pulmenti ex lentibus, quæ rubræ ſunt, vendiderit. Ore tamen & crinibus à nativitate rubeſcebat. Idumææ nomen ab Edom, cujus poſteri regionem illam frequentarunt, derivatur; nec raro regio Edom appellata eſt.

Primogeniti Jura. VII. Quatuor vulgò recenſentur jura Primogeniti. I. Cæteris omnibus fratribus præerat. II. Duplex erat ejus in hæreditate portio. III. Singulari benedictione donabatur à Patre; cui benedictioni vim ſuam fuiſſe, perſuaſum habebatur. IV. Ante Legem jus Sacerdotii poſſidebat. Porrò duplex in hæreditate portio certiſſimum videtur Primogeniti privilegium, de quo extat Lex: *Dabitque de his quæ habuerit cuncta duplicia* (a). Cœtera enim appendices ſunt potiùs inſitæ à naturâ propenſionis, quâ inclinamur in obſequium primorum natu. Ex indito iſto à naturâ obſequio factum eſt, ut primogenitis relinqueretur jus ſacrificii, cum ſcilicet

fratres

(a) *Deuter XXI. 17.*

fratres omnes unâ convenirent. At in aliis circumſtantiis, quiſque ſibi paterfamilias jus adrogabat in ſacrificia, jura Primogeniti eâ in re nihil attendens: cujus rei luculentum teſtimonium habetur in Cain & Abel ſeorſim ſacrificia offerentibus. Duplex autem illa portio hæreditatis duplici ratione exponitur. Tenent alii, aſſignatum fuiſſe majori natu omnium rerum dimidium; reliquum verò æquis partibus inter cœteros fratres diviſum. Alii autem defendunt, primori natu aſſignatam duplo majorem ac reliquis fratribus portionem. Si exempli gratiâ ſex fratres è morte patris ſuperfuiſſent, hæreditatis As totus in ſeptem partes dividebatur; duplex portio cedebat primogenito, reliquæ fratribus, ſingulis ſingulæ. Privilegium illud nihil favebat puellis licet natu majoribus inter fratres vel ſorores.

Peccaverintne fratres illa venditione, & emptione?

VIII. Non levis criminis reus fuit Eſau, majoris natu jura vendens, quæ perinde habebantur ac ſacrum aliquod depoſitum. Quia & de ſimoniâ illum accuſant Interpretes nonnulli, quod Sacerdotium, & maximam ſingularemque primoris natu ex Iſaaco prærogativam, quòd ſcilicet ex illius familiâ Meſſias expectaretur, viliſſimo lentis pretio commutaverit. Demus, iſta per ludum ab eo facta fuiſſe; ſatis tamen Eſau indolem produnt, & ingenium; quare Paulus illum vocat *prophanum* (a). Præſtita autem à Jacobo in fratrem omnia, his potiſſimùm excu-

(a) *Ad Rom.IX. Malach.*I.2.

cuſarentur. Prærogativa Primogeniti ad illum ſpectabat jure divino, matri antea revelato, quando ſcilicet ei dictum fuit: *Major ſerviet minori*. Nonniſi igitur per injuriam illam occupabat Eſau; ut proinde recuperandi quod ad ſe pertinebat, occaſionem cœperit opportunam. Eſau volens & libens omnia concedebat; & fames, quâ ſtimulabatur, alio cibo facilè levari poterat. Scriptura tandem nunquam eo nomine Jacobum accuſat. Quæritur etiam, an emptio illa & venditio valeat? Negans autem opinio amplectenda videtur, ſive jus illud in alium transferri poterat, ſive non: ſi transferri naturâ ſuâ non potuit, utpote ſacrum ac Divinum, vendi utique non potuit ab Eſau; ſi transferri, nunquam id tamen id licebat filio, inconſulto patre. Profectò Iſaac deinceps Eſau ceu priorem natu habuit. Statuendum igitur, Jacobum jure primogeniti valuiſſe, non ex fratris ceſſione, ſed ex ſupremo Dei dominio, qui illam prærogativam in eum etiam ante ortum contulit.

Teſtamentum Abrahami, ejuſque & Cethurâ progenies.

IX. Properabat ad vitæ extrema Abrahamus, cum ſupremis tabulis Iſaaco reliquit, quæ poſſidebat, *omnia*, greges ſcilicet, mancipia, argentum, res familiares, latifundia, jus tandem Dei promiſſionibus ſibi conciliatum, poſſidendi ſcilicet certò Chanaanitidem. Filiis autem Agar & Cethuræ quædam tantùm *munera* contulit è rebus familiaribus, quæ cenſuit opportuna; eoſque miſit in Arabiam deſertam ad Orientem

Ber-

Beerſabee, quem locum poſtremis vitæ ſuæ annis incoluit. Porrò Filiorum Cethuræ nomina ſunt Zamran, Jecſan, Madan, Madian, Jesboc, & Sue. Jecſan præter Saba genuit Dadan, ex quo orti ſunt populi Aſſurim, Lathuſim, & Loomim. Madian verò pater fuit Epha, Opher, Henoch, Abida, & Eldaa. Alexander Polyhiſtor, & Cledemus aſſerunt, Opher, alio nomine Apher, armis in Lybiam illatis, eam ſubegiſſe, atque Africæ nomen indidiſſe (*a*).

X. Cum Abrahamus ad ætatem 175. annorum perveniſſet, ſenectute oppreſſus obiens, *congregatus eſt ad populum ſuum*: quem in ſpeluncâ, in quâ ipſe Saram olim condiderat, Iſaacus & Iſmael parentarunt. Ducitur hinc argumentum pro aſſerendâ Animæ immortalitate validiſſimum. Cum enim Abrahami deceſſores non in Chanaanitide, ſed in Chaldeâ ſepulturæ mandati ſint, illos *congregari* non potuit, niſi in alterâ vitâ. Templum (*b*) exædificarunt Chriſtiani ad Abrahami ſepulcrum, quod deinde Turcæ transformarunt in Moſcheam, iidem autem tantâ veneratione virum colunt, ut ad tres inſignes peregrinationes, Mechæ, Medinæ, & Jeroſolymæ, quartam hanc adjiciant. Diù eſt quòd nomen ejus ſcriptum legitur in Canone Miſſæ, & in precibus, quibus decedentes ex hac vitâ juvantur, Abrahamus invocatur. Nec ſilent de illo noni Sæculi Martyrologia ad nonam

Anno Mundi 2184. Ante Chriſtum 1816.

Abrahami mors & elogium.

T Octo-

(a) *S. Hieron. qq. Hebr.*

(b) *Quareſmi. Elucid. tom. 2. pag. 773.*

Octobris diem. Alexander Severus Imperator ex ſolâ Judæorum & Chriſtianorum relatione notam ſibi Abrahami virtutem admiratus, inter Deos Lararii ſui illum æquè ac Jeſum Chriſtum collocavit (*a*). Profectò in ſe uno virtutes expreſſit, quarum vel ideam effingere Philoſophia & Ratio vix valuerunt, ut Sapientis imaginem formarent. *Magnus planè*, ait S. Ambroſius, *quem votis ſuis Philoſophia non potuit æquare; denique minus eſt quod illa finxit, quàm quod ille geſſit* (*b*). Jam alibi notatum eſt (*c*), nonnullos allatas ab illo affirmare è Chaldæâ in Ægyptum & Phœniciam, Aſtronomicas & Mathematicas diſciplinas, jactaque Damaſceni Regni fundamenta. Linguæ Hebraicæ, ejuſque characterum primum authorem aſſerit Suidas; Syriacarum & Chaldaicarum literarum, Iſidorus Hiſpalenſis. Ignis Cultores, quorum reliquiæ hodie uſque ſuperſunt in Oriente, confundunt Abrahamum cum Zoroaſtro, inſigni apud ipſos Prophetâ; à quo etiam conſcriptos dicunt libros, ab ipſis appellatos *Zeud*, *Pazeud*, & *Voſtha*, in quibus eorum Religionis dogmata continentur. Tandem apud Authores quoſdam Judæos & Hæreticos ſcripſit & alios libros, qui ſub tanti nominis obtentu plura indigniſſima obtrudunt. (*d*)

Raptui

(a) *Lamprid. in Sever.*

(b) *De Abraham l.* 1. *c.* 2.

(c) *Vide ſupra l.* 2. *c.* 1. *n.* 8. *&* 11.

(d) *Vide Calmetum dict. v.* Abraham.

Raptui expoſita Rebecca liberatur. Cum Abimelecho, Iſaac fœdus init. Connubium Eſau. Jacob benedictionem ſurripit, & fugit in Meſopotamiam.

CAP. VI.

Anno Mundi 2200. Ante Christum 1800. *Rebecca pudicitiæ periculo expoſita liberatur.*

I. GRaſſante in regione Beerſabee fame, Iſaacus in Geraram, Philiſtæis ſubjectam, in ditione Abimelechi, contendit; cumque in Ægyptum progrediendi conſilium injiſſet, Dominus, iteratis illi benedictionibus, olim Abrahamo factis, ut ſubſiſteret, imperavit. Ab incolis loci de Rebeccâ, quam comitem habebat, rogatus, ſororem ſuam eſſe, veritus ne eâ ſublatâ necem ſibi conſciſcerent, reſpondit. Rebecca conſobrina erat Iſaaci; quare ſororem illam profeſſus, nonnullis mentitus videtur: Conſanguinei tamen, arcto ſanguinis vinculo colligati, fratres & ſorores apud Scripturam appellantur. Abimelechus, alterius Abimelechi, qui Saram rapuerat, facilè filius, patris exemplo cautior factus, ſedulò rem ſcrutari conſtituit, viſiſque quibusdam jocis maritali prorſus libertate inter utroſque habitis, veritatem ſubodoratus eſt; quare accivit Iſaacum, objurgavitque quòd in populum ſimulatione ſuâ peccandi occaſionem, ſimulque Dei ultionem inducturus fuiſſet. Lato autem edicto, ne quis unquam fœminam violare tentaret, prohibuit.

Interim Iſaac ditabatur, meſſe centuplum rependente, auctiſque gregibus & familiâ. Livore correpti Philiſtæi omnes ab Abrahami ſervis olim effoſſos puteos opplevêre; quin & ipſe Abimelechus, Iſaaci potentiam timens, ut recederet, rogavit. In vallem igitur & ad torrentem Geraræ ſecedens, novos puteos hauſit, noviſque altercationibus vexatus, puteis illis *Calumniam* & *Inimicitias* nomen impoſuit. Alium tandem fodit puteum; pro quo cum Philiſtæi non contenderent, vocavit nomen ejus *Latitudinem*. Ad Beerſabee redux, per quietem Deum priora promiſſa renovantem vidit, erectoque Altari, ibi domicilium fixit, utque novum foderent puteum, ſervis ſuis præcepit. Huc poſt aliquod temporis ſpatium Abimelechus cum Ochozat amico ſuo & Phicol militum Duce vênit, ut cum eo fœdus iniret. Cui Iſaacus; quid, ait, vobis exoſum hominem, & è veſtris regionibus expulſum inviſitis? Reſpondit Abimelechus, ſe ideò veniſſe, ut cum illo, cui Deus faveret, fœdus percuteret. Igitur Iſaacus illos convivio exceptos, poſterâ die voti compotes dimiſit. Inter hæc, ſervi Iſaac invenerunt aquam in puteo à ſe defoſſo, deque re totâ Dominum monuerunt; ex quo datum, ſeu veriùs innovatum, puteo nomen *Beerſabee*, ſcilicet Puteus abundantiæ; vox enim *Schibah* abundantiæ ſignificationem patitur (*a*). Porrò nomen illud

(a) *Vide ſupra l.2. c.4. n.4.*

illud primò datum puteo, conditæ deinde urbi communicatum eſt. Sæpè Scriptura Terræ Sanctæ fines his verbis notat: *A' Dan uſque Beerſabee*; ad ſeptemtrionem enim terminum habet Dan, ad meridiem Beerſabee.

Anno Mundi 2208. Ante Chriſtum 1792.

Eſau fœminas Chananæas uxores ducit.

II. Eſau ad annum 40. pervenerat, cum duas ex Chananitide fœminas duxit, Judith nempe filiam Beeri Hethæi, & Baſemath filiam Helon ejuſdem regionis; quæ Iſaaci & Rebeccæ animos offenderunt, quòd eſſent idolis addictæ, ut tradunt Paraphraſtæ Jonathan & Jeroſolymitanus, ſpernerentque monita ſalutaria Iſaaci & Rebeccæ. Nunquam tamen Iſaacus animi propenſionem, quam diù foverat, in Eſau, exuerat; quare cum ſenuiſſet, oculiſque vel ætatis, vel morbi vitio caligaſſet, accito Eſau imperavit, ut ſibi è venatione cibum, ſicut velle ſe noverat, pararet, extremam benedictionem deinde ſe illi largiturum pollicitus. Putabat enim ſe morti proximum, nolebatque decedere, antequam imprecaretur filio ſuo majori natu bona, panderetque illi rerum futurarum, quæ ad ipſum ſpectarent, oracula. Paruit illicò Eſau; ſed Rebecca, quæ omnia audierat, Jacobum monuit, ut hædum è grege ſubducens ad ſe confeſtim deferret; quo à ſe in cibum ad patris guſtum parato, illique oblato, eo indicio Eſau crederetur, paternamque benedictionem ſurriperet. Cui Jacob, vereri ſe dixit, ne pater manus ipſius & collum attrectans, fraudem deprehenderet; quippe cum Eſau piloſus eſſet,

ipſe verò lenis; & pro benedictione maledictionem in ſe provocaret. Verum Rebecca maledictionem illam in ſuum caput imprecata, quantocyùs hædos afferret, imperavit. Eo allato atque parato, mater veſtibus Eſau ſplendidiſſimis Jacobum induit, hædiniſque pellibus manibus & colli nudis protectis, illum ad patrem remiſit.

Anno Mundi 2245. Ante Chriſtum 1755. *Jacob benedictionem ſurripit.*

III. Iſaacus ingredientem audiens, ecquis eſſet, interrogavit. Cui Jacob, Eſau se eſſe reſpondit. Deinde à patre requiſitus propiùs acceſſit, ſe ſeque palpandum obtulit. Cum Iſaac piloſum ſentiret, omni fraudis ſuſpicione depoſitâ, quam ex vocis ſono conceperat: ait: *Vox quidem, vox Jacob eſt; manus autem, manus ſunt Eſau.* Cibum igitur deguſtavit; hauſtoque deinde vino, filium ad oſculum accedere juſſit. Jacobo obtemperante, Iſaac veſtium Eſau fragrantiam ſentiens: *Ecce odor*, ait, *filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine Terræ abundantiam frumenti & vini; ſerviant tibi populi, & adorent te tribus; eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Sub hæc Eſau regreſſus à venatione, cum promiſſam benedictionem à patre peteret, fraude ſibi à Jacobo extortam agnoſcens, indoluit, conqueſtuſque eſt, ſe bis ab eo ſupplantatum fuiſſe, & cum jura primogeniti, & cum benedictio-

dictionem ſurripuit. Deinde ad Iſaacum conversus expoſtulavit, ut ſe etiam benedictione non fraudaret. Permotus hiſce pater, ait: *In pinguedine Terræ, & in rore Cæli deſuper erit benedictio tua. Vives in gladio, & fratri tuo ſervies; tempuſque veniet, cum excutias & ſolvas jugum ejus de cervicibus tuis.* Prior vaticinii pars nonnullis cum Idumæâ, quam Eſau occupavit, minimè quadrare videtur, regione maximè ſterili arentique; quare Hebræum reddunt: *A' rore Cæli, & à pinguedine Terræ aberit habitatio tua.* Alia Iſaaci verba bellicam Idumæorum indolem pingunt. Poſteri Eſau jugum ſubjerunt Regum Judæ à Davide aduſque Joram, Joſaphati filium; à quo ſeceſſione factâ aſſeruerunt ſe in libertatem, Regemque ſibi conſtituerunt. Subacti iterum fuerunt ab Hircano ſummo Sacerdote; ſed Herodes Antipatris Idumæi filius ſibi ſuiſque filiis dominium in illos adeptus eſt (a).

IV. Sunt qui dicant, Rebeccam nihil de Oraculo Divino: *Major ſerviet minori*; Iſaaco aperuiſſe, idque ignorantiæ in causâ fuiſſe, ut vir Sanctus Jacobum Eſau ſubjicere meditaretur. Vix tamen in eorum ſententiam concedimus, rati, Iſaacum, cum bona filiis ſuis imprecaretur, animum habuiſſe paratum ſequendi ductum *Variæ de Jacobi fraude opiniones.*

T 4 S. Spi-

(a) 1. *Reg. VIII.* 14. 13. *Antiq.* 17. 4. *Reg. VIII.* 20. *Joſeph*

S. Spiritûs, ut nihil ore exprimeret, niſi quod exprimendum Deus intus dictaſſet. Quare Iſaac non minorem majori ſubjicere conabatur, ſed ea tantùm bona majori, ſcilicet Eſau, precari, quæ Deus voluiſſet. Hinc Iſaacus etiam poſt compertam Jacobi artem, conceſſas illi benedictiones non ſolùm non revocavit, ſed potiùs confirmavit. Quin cenſet Tornellius, intus in corde perſuaſum fuiſſe Iſaacum habere ante ſe obvium Jacobum, cujus vocem norat; ſed gravi Dei intus ſuggerentis adactum perſuaſione, ut benedictionem imprecaretur in eum, qui per fraudem ſe obtrudebat, veluti filium natu majori. Utcunque res habuerit ſe ſe, Iſaacus ſapido illo cibo uſus eſt tanquam occaſione impertiendi benedictionem, non verò illius pellectu inductus eſt ad rem tam ſanctam peragendam; hoc enim tantum virum maximè dedeceret. An autem ex parte Rebeccæ, & Jacobi peccatum ſaltem veniale interceſſerit, non convenit inter Doctores. Chryſoſtomus & Caſſianus, apud quos mendacium in quibusdam rerum circumſtantiis licitum erat, dicunt, Jacobum mentitum fuiſſe, ſed non peccaſſe (a). Deo movente id feciſſe Rebeccam & Jacobum, aſſerunt quidam Theologi; eâque de causâ utrumque à pec-

(a) *Chryſoſtom. Hom. 52. & 53. in Geneſ. Caſſian. Coll. 17. c, 17. & 31. vide & Origenem apud Hieron. l. 1. Apolog. adverſ. Rufin.*

peccato pronunciant immunes (*a*). Verendum tamen, ne iſta ſententia, ut à mendacio excuſet homines, authorem illius faciat Deum. Neque mentitum, neque peccaſſe volunt D.Gregorius, Beda, Rupertus, D. Thomas, Canus, aliique, contendentes, Jacobum citra veritatis diſpendium obtrudere ſe tanquam primorem natu potuiſſe; cum jus illud ſibi adſciviſſet, nulloque ambigente ex Dei promiſſione haberet aſſertum. Divus quoque Auguſtinus virum excuſat aliâ ratione; vult ſcilicet, quòd hæc omnia referantur ad myſterium. Pelles, inquit, quibus Jacobus nuda protexit, exhibent Chriſtum, qui in se hominum peccata induxit. Cum Jacob obtruſit se tanquam Eſau natu majorem, nonne expreſſit Gentium vocationem, amotis Judæis? Ut verum tamen fatear, myſterium, quod in ſenſu hiſtorico latet, dolum non excludit nec malum, ſi quod in actione aliquâ commiſſum eſt. Sampſonis cum Dalilâ fornicatio conjunctionem Chriſti cum Eccleſiâ explicat, nec à myſterio vacat. Proptereane fornicatio illa crimen excluſit? Et ipſe S. Auguſtinus vidit tandem ſiniſtras, quas è ſuo illo principio pronum erat deducere conſecutiones (*b*). Tutiorem viam ineunt, qui Rebeccam & Jacobum tunc ignorantiâ laboraſſe arbitrantur. Alii tandem

(a) *Biel in 3. ſent. diſt. 38. Petrus de Alliaco in 1. ſent. q. 12.*

(b) *Lib. contra Mendac. c. 10. Lib. 22. contra Fauſt. c. 83.*

dem (*a*) non multùm laborant in illis excuſandis; fatentur enim Sanctorum vitam à peccato ſaltem veniali nunquam penitùs eximi. Extenuando quidem crimini valet Rebeccæ & Jacobi optima voluntas, Oracula Divina, quæ mentem agitabant, jus Primogeniti Jacobo aſſertum: Mendacium, inquiunt, erat, ſed nulla injuria: conabatur enim Jacobus ſibi vendicare quod ſuum erat, nec aliter impetrare poterat.

Jacobus in Meſopotamiam fugit.

VI. Artibus Jacobi exulceratus Eſau odium in illum altâ mente fovit, eamque fraudem cæde ipſius ulturus, obitum patris præſtolabatur: Rebecca verò hæc reſciens, metuenſque, ne filii manus adinvicem conſerentes, ambo ſimul in certamine interirent, rem totam aperuit Jacobo, ſuaſitque ut ad Labanum avunculum ſuum in urbem Haran diverteret, donec Eſau mitiora meditaretur. Diſſimulato autem timoris ſui vero argumento, inſtitit apud Iſaacum, ut Jacobum in Meſopotamiam mitteret, uxorem ex ſuis gentilibus inde petiturum, affirmans, ſibi graviſſimum fore, ſi Jacob, Eſau imitatus, Chananæam uxorem duceret. Igitur Iſaac filium accivit, illique bona, Abrahamo promiſſa, imprecatus, in Meſopotamiam miſit, imperans, ut unam ex Labani filiabus uxorem ſibi adſciſceret.

Ja-

(a) *Lyran. Toſtat. Lipom. Cajetan. &c.*

Jacob Scalam videt. In Haran veniens ſeptennio ſervit pro ducendâ Rachele, cui ſubſtituitur Lia. Rachel Balam, Lia verò Zelpham addunt Jacobo; cujus filii recenſentur. De Mandragoris lis.

CAP. VII.

I. CUm Jacobus, iter in Meſopotamiam proſequens, ad locum quemdam, Luza appellatum, ſerò perveniſſet, quieti ſe dedit; dormientique ſtatim ſpecies Scalæ objecta eſt, è Cœlo ad terram uſque protenſæ, per cujus gradus Angeli aſcendebant & deſcendebant (*a*). Dominum autem Scalæ innixum, promiſſa, olim Avo & Patri facta, renovantem audivit; à quo etiam certior factus eſt, opem illius ſibi nunquam defuturam, donec in Chanaanitidem regrederetur. Hoc ſomnio expergefactus Jacobus, facilè credidit, imprudentem ſe decubuiſſe in loco aliquo Numini conſecrato; quare exclamavit: *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam: Quam terribilis eſt locus iſte! Non eſt hic aliud niſi Domus Dei & porta Cœli.* Surgens autem mane lapidem illum, quem capiti ſuo ſuppoſuerat, in monumentum ſpectatæ hìc viſionis erexit, oleoque unctum in Aram conſecravit. Hinc mos ungendi Altaria, & parietes

Anno Mundi 2245. Ante Chriſtum 1755.

Jacob Scalam videt.

(a) *Gen. XXVIII.*

rietes ac columnas Templi, ſolemni ritu conſecrandi. Loco illi vir pius Bethel, hoc eſt, Domus Dei, nomen impoſuit, ubi poſtea Urbs cognominis ædificata fuit. Bætyliorum ſatis celebre apud Veteres nomen; quæ lapides eſſe vivos & animatos putabant (a). E' Bætyliis hiſce derivata ſunt vetuſtiſſima omnium, quotquot occurrunt, Numina. Antequam celandi ars perficeretur, ait S.Clemens Alexandrinus, Veteres coram erectis columnis proſternebantur, velut coram monumentis & ſimulacris Deorum. Gemina obſervat Pauſanias (b). Jacobus Deo pollicitus eſt, ſoluturum ſe illi bonorum omnium quæ ſibi obveniſſent, decimas, ſiquidem Deus quæ ad vitam ſunt neceſſaria, atque itineris ſui exitum præſtaret felicem. Voti compotem factum fuiſſe Jacobum, certò ſcimus; quomodo & quando hujus promiſſi fidem exolverit, Scriptura nullibi prodit (c). Interim Eſau conſilium demerendi ſibi parentes agitans, aliam duxit uxorem, non ex Chananæis ut olim, quæ illis erant inviſæ, ſed ex Ismaëlitis, Maheleth ſcilicet ipſius Ismaëlis filiam, ſororem Nabajoth; monteſque ad Orientem Jordanis, in ſuperioribus Maris Mortui, occupavit; ubi & flo-

(a) *Vide Sanchon: apud Euſeb.l.1.Præpar. c. 10.*

(b) *Clem. Alexand. ſtrom.l.1.Pauſan.l.7.*

(c) *Vide hanc hiſtor. l.2.c.9.n.2.*

florentiſſimæ prolis Pater, & potentiſſimi Imperii Rex effectus eſt (*a*).

II. E' Bethel digreſſus Jacobus in Meſopotamiam pervenit; ibique in quodam agro puteum vidit, & circum paſtores cum ſuis gregibus ſocios expectantes, ut cum ſimul omnes conveniſſent, ab ore putei lapidem, quo claudebatur, removerent, gregeſque unâ coactos adaquarent. Porrò id moris ſervabant, quòd raræ admodum eſſent aquæ in eo Meſopotamiæ tractu. Interrogati autem à Jacobo paſtores, unde eſſent, de Haran reſponderunt; cumque de Labano quæſiviſſet, audivit, benè valere, futurumque, ut Rachel ejus filia jam jam adeſſet cum grege ſuo (*b*). Jacob venientem expectavit; eâque visâ ſtatim lapidem removit, curando gregi manum admovit, ac tandem prodito genere ſuo puellam oſculo ſalutavit. Illa confeſtim domum ad patrem evolavit, qui ſtatim hoſpiti occurrens in domum ſuam deduxit: Poſt menſem evolutum Laban nolens gratis ſibi à nepote famulari, ipſum rogavit, ecquid mercedis expoſceret. Ille nihil cunctatus, ſeptennii famulatum pro nuptiis Rachelis filiæ ipſius, natu minoris, pactus eſt. Servivit igitur Jacobus Labano ſeptem annis; quod temporis ſpatium impensè Rachelem amanti pauci dies videbantur. Dixit autem Jacobus ad Labanum: *Da mihi uxorem meam, quia impletum eſt tempus, ut*

Jacob Rachelem & Liam uxores ducit.

(a) *Vide infra l. 2. c. 9. n. 5.*

(b) *Gen. XXIX.*

ut ingrediar ad illam. Obvius literæ ſenſus præfert, nonniſi poſt expletum ſeptennium, Jacobum, ut ſibi permitteretur uxor, poſtulaſſe. Calmetus tamen aliique apud ipſum malunt, ſtatim poſt pacta nuptialia uxorem viro permiſſam. Verba enim illa: *Tempus impletum eſt*; exponunt: eâ jam ſum ætate, ut de conſtituendâ familiâ ſit mihi cogitandum. Agebat quidem tunc Jacob ætatis annum 76.; Celebratis pro gentis illius more nuptiis, cum Sponſa noctu in thalamum introducenda eſſet, pro Rachele,Lia altera Labani filia, natu major, quæ lippis ſeu, ut habet Hebræus, teneris, vel delicatis erat oculis, ſuppoſita eſt. Jacob mane tantummodo fraudem deprehendens, cum Labano conqueſtus eſt; ſed ille factum excuſavit, morem regionis cauſans, quo filias natu minores ante majores nuptui tradi interdicebatur; quare ſi vellet & alteram ducere, ſeptem adhuc annis ſerviret; interim hebdomadam tranſigeret cum Liâ: Jacob amore Rachelis injuſtæ petioni acquievit, impletâque hebdomadâ optatis nuptiis potitus eſt. Putant aliqui poſt Joſephum, Jacobum altero ſeptennio poſt prius illud expletum ſerviiſſe, antequam ei Rachel traderetur. Verùm alteram explicationem determinat nomen illud *hebdomada*, cujus obvia ſignificatio ſeptem dies, non autem annos, præfert; quo temporis ſpatio apud Hebræos feſta nuptialia abſolvebantur (*a*).

III. Nec

(a) *Judic.XIV.* 12.

Labani & Liæ crimen.

III. Nec Lia, nec Laban ab enormi crimine excuſari poſſunt: Lia adulterii, Laban ejus procurati. Si autem nefas fuiſſet juniores filias ante natu majores nuptui tradere, quomodo Laban palam omnibus, ac nemine improbante, ſpeciem exhibere potuiſſet nuptiarum cum Rachele? Porrò Jacob à principio fraudem non agnovit, quòd ductus fuerit in conclave, ubi jam Lia detinebatur fortè velata, vel amoto lumine. Si autem conjugium ratum fuit, id totum petitur ex aſſenſu, quem vir poſt compertum errorem præſtitit. Ex hac hiſtoriâ patet, olim obtinuiſſe, ut viri emerent ſibi dotarentque uxores; quâ conſuetudine hodie uſque Turcæ & Tartari utuntur. In hac duarum ſororum viciſſitudine Patres grande illud myſterium reprobatæ Synagogæ, & Eccleſiæ ex gentibus aſſumptæ recognoſcunt. Lia prima veniens ad connubium, veræ ſponſæ gradum obtinuit; verùm Jacob, Jesu Chriſti typus, minus illam amans, duxit Rachelem, quam unicè ſemper dilexit, habebatque veluti laborum ſuorum omnium pretium, & finem.

Lia fœcunda, Rachel ſterilis. Bala et Zelpha addũtur Jacobo in uxores.

Anno Mundi 2246.

Oritur Ruben.

IV. Cum igitur Jacob in Rachelem potiùs, quàm Liam inclinare videretur, Deus Liam fœcundam, Rachelem verò ſterilem effecit. Quare ex Liâ quatuor filios Ruben, Simeon, Levi, & Juda ſuſcepit. Porrò nomina iſta ſignificatione non carent, alluduntque ad ea, quæ mater, cum illos ederet, dixit. Pariens enim Ruben (*filius viſionis*), ait: *Vidit Dominus*

Anno Mundi 2247. *Oritur Simeon.*
Anno Mundi 2248. *Oritur Levi.*
Anno Mundi 2249. *Oritur Judas.*

minus humilitatem meam; illi enim præferebatur Rachel. Cum Simeon (*audiens*) eniteretur, dixit: *Audivit me Dominus haberi contemptui*. Aucta Levi (*fœderatus*, *ſive ligatus*) protulit hæc verba: *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus*. Tandem cum Judam (*laus*, *ſive confeſſio*) peperiſſet, ait: *Modò confitebor Domino*. Rachel filiis carens ſororis fœcunditatem ægris oculis aſpiciebat, convenienſque Jacobum, filios ab eo poſtulavit; alioquin, ait, ægritudine conficiar. Reſpondenti viro, non à se quidem, ſed à Deo filios requirendos eſſe, propoſuit illa cum Balâ ancillâ ſuâ congreſſum, ut ſaltem alterius operâ mater vocaretur. Saram, quæ Agarem Abrahamo ſimili de causâ

Anno Mundi incerto. *Oritur Dan.*
Oritur Nephtali.

ſubſtituit, facilè imitata eſt Rachel. Ex Balâ Jacob filium Racheli genuit, cui à matre nomen Dan (*judicans*) inditum eſt, illud addente: *Judicavit mihi Dominus*; hoc eſt, defenſionem meam ſuſcepit. Alter deinde ex Balâ natus filius, Nephtali (*comparatio*, ſive *ſimilitudo*) à Rachele appellatus eſt; quæ ait: *Comparavit me Deus cum ſorore meâ*, & *invalui*. Fortè inſinuat Rachel, ſororem ſuam callidè ſupplantaſſe ſe, quæ clam furtimque se se introduxerat in Jacobi thalamum; arte se tamen artem eluſiſſe, Balâ famulâ ſuâ ad viri thorum introductâ. Sentiens autem Lia, se parere deſiiſſe, Zelpham ancillam ſuam, Rachelem emulata, marito tradidit. Zelpha verò votis Liæ non defuit; cumque filium peperiſſet, Lia pue-

ro

Digitized by Google

ro nomen Gad (*felix*) impoſuit, illud interim dicens: *Feliciter*. Gad apud Ethnicos bonæ fortunæ erat Deus (*a*), & facilè non alius à Sole, ita appellatus, quòd benigno aſpectu influere in genituras hominum cenſebatur. Potuit ergo Lia ſuperſtitionibus Paganorum adhuc implicita, filium gignens invocare Solem & dicere: *In Gad*, vel: *Gad venit*, ſeu: *Gad nunc veniat*. Malunt alii Gad eſſe turmam, vel manum militum, ſeu aciem in prælium inſtructam; quo inſinuaretur, genuinum ſententiæ ſenſum hunc eſſe: *Mihi adeſt turmà filiorum*; vel: *En parvum exercitum*. Alterum quoque filium peperit Zelpha, quem Lia appellavit Aſer (*beatitudo*), dicens: *Beatam me dicent mulieres*. *Oritur Gad.* *Oritur Aſer.*

V. Balam & Zelpham, quamquam Racheli & Liæ ſubditas, nequaquam tamen mancipii jure ſerviſſe, tradit Joſephus (*b*). Porrò connubia, quæ celebrabantur cum id generis fœminis nec firmabantur ſyngraphâ, nec dote, nec ritu aliquo. His, qui naſcebantur, filiis nullum erat jus in hæreditatem. Quare nonniſi annuentibus Rachele & Liâ, filii ex ancillis earum nati æquo jure admiſſi ſunt cum liberis, è matribus familiæ ſuſceptis. *Filii Balæ & Zelphæ ancillarum à Rachele, & Liâ adoptati.*

VI. Accidit interea ut Ruben filio Liæ in agro vaganti tempore meſſis triticeæ quidam fructus occurrerent, quos collectos ad matrem detulit. Eorum appetitu capta Rachel, ut ſibi *Mandragoræ litis argumentum.*

(a) *Iſaiæ LXV.2.juxta Hebræum*.

(b) *Antiq.l.1.c.19.*

de illis concederet, à Liâ poſtulavit. Cui illa, ſatis ei habendum reſpondit, quòd virum ſibi rapuiſſet, cui ante illam adhæſerat, quin in fructus, etiam filii ſui manum injicere tentaret. Altera, fructuum cupiditate titillante, virum in ſequenti nocte fruendum ſorori conceſſit, pactâ eorumdem mercede. Revertenti ex agro Jacobo Lia rem aperuit; qui eâ nocte cum illâ dormivit; cum alioquin Racheli se se præſtare deberet. Jacob enim pro more regionis, ubi polygamia vigebat, æquè se utrique uxori concedebat. Porrò Lia concepit filium, quem cum

Oritur Iſſachar. poſtea edidiſſet, Iſſachar (*pretium*, ſive *merces*) appellavit, addens: *Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo.* Ad fructus illos quod ſpectat, in varias abitum eſt ſententias. Vox *dudaim*, quâ Moyſes uſus eſt, ignotum noſtrâ ætate ſenſum habet. Septuaguinta, Vulgata, Chaldæus reddunt Mandragoras. Notant tamen nonnulli, *dudaim* inventa eſſe tempore meſſis triticeæ, quòd in Palæſtinâ, Meſopotamiâ, & Ægypto incidit in Aprilem exeuntem & ineuntem Majum. Porrò eâ anni tempeſtate nec Mandragoræ, nec poma vulgaria in iis regionibus matureſcunt. Quare multò propiùs vero crederentur per id temporis inventa à Ruben & ad matrem delata mala citrina, vel aurea. Ita illi. Ex iis verò qui ad flores convertuntur, alii præferunt violas, alii lilia, alii jasminos, alii tubera, alii alia. Poſt Iſſachar

Oritur Zabulon. Lia alium filium procreavit; cui nomen Zabulon

lon (*dos*, ſive *manſio*) cum inderet mater, dixit: *Dotavit me Deus dote bonâ; etiam hac vice mecum erit maritus meus, eò quòd genuerim ei ſex filios*. Peperit tandem puellam, quam Dinam appellavit. Secundùm hæc, memor Rachelis Deus, filium illi conceſſit, cui inditum à matre nomen Joſeph (*augmentum*), illud interim uſurpante: *Addat mihi Dominus filium alterum*.

Oritur Dina.
Anno Mundi 2259.
Ante Christum 1741.
Oritur Joſeph.

Jacob cum Labano convenit, & arte diteſcit. Fugit, fugientemque Laban aſſequitur. Rachel Idola furatur. Fœdus inter Jacobum & Labanum. Eſau occurrit Jacobo; qui poſt luctam cum Angelo Iſraël vocatur. Jacob emit agrum in Chanaanitide, ubi ſedes firmat.

C A P. VIII.

I. EVoluto promiſſæ ſervitutis tempore, auctâque familiâ, regreſſum ad propria cogitans, dimiſſionem Jacob à Labano petivit. (*a*) Cui ille: Liceat, quæſo, mihi adhuc tuâ gratiâ & operâ frui; ſat enim exploratum mihi eſt, Deum poſt adventum tuum res meas proveniſſe. Coſtitue igitur quid mercedis à me poſtules; idque me daturum ſpondeo. Tum alter: Nihil poſtulo mercedis; ſed audi quæ propono. Famulatum meum adhuc oppignoro, dum-

Inter Jacobum & Labanum pactiones.

(a) *Geneſ. XXXI.*

dummodò mihi cedas, quidquid in gregibus ex ovibus & capellis variatum & maculoſum naſcetur: ad hæc, nigras oves, & albas capras ſumam mihi. Reliqua omnia tua erunt. Dari ſibi poſtulat Jacob id quod minùs eſtimatur in vellere ex ovibus & villis ex capris; tondebantur enim & capellæ in eâ regione. Porrò maculoſum vellus & villi varii coloris, ubi ſcilicet album nigris punctis inſpergitur, & viciſſim, ideo minoris habebatur, quòd imbui colore aliquo non poſſent, quemadmodum nec nigra prorſus ovium vellera. Nigri tamen caprarum villi pluris extimabantur, quod uſui eſſent tentoriis conficiendis, nigris plerumque (*a*). Ne verò reputes, addidit Jacob, me tibi ſtruere inſidias, ſive artificio aliquo moliri, & commixtis ſimul diverſi coloris maribus & fœmellis uberiorem mihi fœturam procurare; tibi, tuiſque filiis ſume ducendam ejus gregis portionem, ex quâ major mihi proventus ſperari poſſit; tum demum quidquid ex hædis & agnis provenerit, ex pactis conventis inter nos mihi cedat. Proponendum mihi aliquid ſuccurrit, quo tuis ipſis oculis convincaris, ſincera eſſe omnia. Conditiones admiſit ſtatim Laban, curavitque, ut greges ad præſcriptam legem ſeparati, in locum, trium dierum ſpatio à Jacobo diſſitum, à filiis ſuis paſcendi, deducerentur; ratus, nullos ex illis alios proventuros fœtus, quàm qui colore parentes imitarentur;

nec

(a) *Cantic.I.4.*

nec ſanè aliter res ſucceſſiſſet juxta leges naturæ.

II. Verùm Deus exantlata à Jacobo mala remuneraturus, dormienti artificium oſtendit, quo multiplicandis gregibus, qui in ſuam portionem cederent, non fruſtra uteretur (a). Virentes igitur virgas, detracto hinc inde cortice, varios colores exhibentes, in canalibus ponebat, quò greges ad potandum cogebantur: quam quidem colorum varietatem augebant umbræ virgarum in aquis expreſſæ; Porrò hac colorum varietate adeò oculi gregum, dum coitus tempus aderat, afficiebantur, ut fœtus juſta ac cupiebat Jacob, conciperent. Alteram deinde ex alterâ ſtruens artem, loco virgarum, ſubſtituit oculis ovium & caprarum in venerem incaleſcentium, magno numero agnos & hædos varii coloris, qui ſubinde naſcebantur. Tertium tandem adhibuit artificium, cum ſelectis optimis & validioribus ovibus & capellis, illas potiſſimùm ad variatos fœtus gignendos adegit. Nec tamen his artibus ſingulis indiſcriminatim anni temporibus uſus fuiſſe videtur; ſed verno tantùm tempore, ut autumnales fœtus, vernis longè meliores referret; autumnali autem tempore arbitrio naturæ rem permittebat, nihil gravatus, ſi vernos fœtus Laban haberet. Bochartus nec de vere, nec de autumno loqui Scripturam cenſet, reputans, Jacobum ita ſegregaſſe greges, ut in cenſum Labani non refer-

Jacobi artificium.

 rentur

(a) *Geneſ. XXXI. 11.*

rentur niſi agni & hædi ſeneſcentes, languenteſque: quæ verò optima ſervaſſe ſibi, eiſque virgas decorticatas exhibuiſſe. Septuaginta habent, in tempore, quo concipiebant greges, Jacobum virgarum artificio uſum fuiſſe; cum verò peperiſſent, ab illo abſtinuiſſe. Porrò textus, ex quibus hiſtoria hæc deducitur, implexi ſunt adeò & intricati, ut Interpretum huc uſque ſedulitatem vicerint. Quare illi omninò conſulendi ſunt. Nihil autem in gregum Jacobi multiplicatione variatoque colore occurrit à naturæ legibus alienum; quippe ſolemne eſt, animantia quæcunque ad ea, quibus afficiuntur, objecta, fœtus referre. Ideoque homines præ cæteris animantibus ejuſdem generis omnibus diſcrepant inter se ſtaturâ, figurâ, colore, ingenio, indole, moribus, quòd anima parentum excipiendis majoribus rerum impreſſionibus; præ cæteris animantibus ad unum tantùm genus determinatis, maximè ſit idonea (*a*). Quod autem Jacob rem ſibi ignotam à Deo didicerit, illud certè miraculum refert. An autem eâ in re diſpendio juſtitiæ commodis ſuis Jacob ſervierit, eſt alia quæſtio, quæ in illius favorem reſolvenda videtur. Nunquam enim aliàs futurum fuiſſet, ut Jacob æqua referret à Labano, qui invitum coëgit ad nuptias cum Liâ, quas emerat ſeptem annorum ſervitute. Ad hæc, nunquam Deus artificium illud revelaſſet,

(a) *Ariſtotel. Problem. ſec.* 10. *Plin. l. VII. cap.* 12.

laſſet, ſi uſum illius peccatum comitaretur: Addunt nonnulli, rebus ſuis naturali artificio augendis intendere, induſtriam præferre, non dolum; Labanum viciſſim nil Jacob rependiſſe pro Liæ & Rachelis hæreditate, in quam pro æquâ portione cum fratribus illæ ſuccedebant. Verùm reputare poſſumus, id cogitaſſe Labanum, ut in partes Jacobi concederent quæcumque ad conventa pacta colorata ſponte naſcerentur; In contractibus autem, in quibus bona contrahentium fides potiſſimùm ſpectatur, mentem maximè paciſcentium attendendum eſſe. Ad hæreditatem quod attinet, nullum in illam jus habebat Jacob, niſi poſt obitum Labani, etiamſi demus, filias non minùs ac filios in paternam hæreditatem ſuccedere, quod nullo certo argumento demonſtraretur.

III. Res Jacobi in dies adeò creſcebant, ut Laban ejuſque filii videntes multitudinem gregum, ancillarum, ſervorum, camelorum, & aſinorum ipſius, torvo illum oculo aſpicerent, palamque dictitarent, ſua eſſe bona, quibus ille augebatur. Pluries etiam conatus fuerat Laban res Jacobi labefactare, ſive quòd cum agnos, & hædos, qui contingerent Jacobo, optimos ſpectaret, & in immenſum creſcentes, ſibi illos poſceret, implendas conditiones ſtabilitas ad aliud tempus reſervans (a); ſive quòd cum res dividendæ eſſent, ſemper conventio-

Anno Mundi 2265. Ante Chriſtum 1735. *Jacobus è Meſopotamiâ in Chananitidem regreditur.*

 nis

(a) *Joſeph. l.1. Antiq. c.18.*

nis pacta commutaret (*a*); Nequidquam tamen hæc ille moliebatur, Deo in contrarium omnia diſponente; qui etiam per ſomnium virum monuit, ut in regionem ſuam regrederetur, opem illi ſuam pollicitus. Jacobus Divinas juſſiones exequuturus, conſilium ſuum uxoribus expoſuit, multumque cum illis de Labani iniquitate conqueſtus eſt; quæ cum & ipſæ iniquum eſſe dixiſſent, ut pater diſpendio filiarum diteſceret, ad se derivans mancipii jure proventus, quos Jacob laboribus ſuis ſibi uxoribuſque veluti dotis illarum portionem procurarat, tandem se se ad eundum quò Deus vocabat, præſto exhibuere. Nec mora; Jacob impoſitis liberis ac conjugibus ſuis ſuper camelos, coactiſque gregibus, & quidquid in Meſopotamiâ acquiſierat, clam è domo Labani se ſubducens, iter Palæſtinam verſus, viginti poſt annos, ex quo eâ regione deſeruerat, ſuſcepit.

Quid rei Theraphim, & cur illa Rachel rapuerit?

IV. Aberat tunc temporis Laban tondendis ovibus occupatus; quare eam occaſionem nacta Rachel, *Theraphim* illius, quod à Vulgatà & à Septuaginta redditur *Idola*, ſurripuit. Confundunt nonnulli Theraphim cum Seraphim, de quibus ſæpè in Scripturà, addentes, Deum Serapidem Ægyptiorum, cui ſerpentes ſemper erant adpicti, & ipſum è Theraphim fuiſſe (*b*). Hos ſi audias, Theraphim figuras referebant Hieroglyphicas, quibus nihil uniforme eſſet & conſtans,

(a) *D. Hieron: qq. Hebr.*

(b) *Spencerus de Urim & Thummim.*

ſtans, ſingulis pro libertatis & religionis ſuæ arbitrio illas effingentibus (a). Docent Rabbini, Theraphim non mera tantùm Idola retuliſſe, ſed & oracula fudiſſe. Ita autem illa deſcribunt ſuo more, nempe fabuloſè. Mactabatur puer major natu, atque diſciſſum ejus caput condiebatur aromatibus; tum lamina quædam aurea, nomine alicujus falſi Numinis inſcripta, ſub ejus linguâ recondebatur. Ita verò præparatum caput illud atque certo quodam loco excavato in pariete, non ſine cereis & incenſo expoſitum, oracula petentibus reddebat. Credimus cum pleriſque Theraphim nomine deſignari *Taliſmannos*, nempe figuras quaſdam è metallo fuſo ſub certi cujusdam Planetæ aſpectu, quibus mira vis tribuitur, quæ & naturæ metalli, & influxui Planetæ, & figuræ in Taliſmanno expreſſæ reſponderet. Familiare id maximè Ægyptiis & Arabibus, jactantibus habere se in poteſtate hiſce figuris alligandi Dæmones, animaſque Deorum ſuorum ſive Aſtrorum, cogendique, ut conſulentibus reſpondeant, pareantque jubentibus. Perſæ *Teleſin* appellant, nomine, quod cum Theraphim congruit maximè. Orientales plerique poſt datum nomen Religioni Mahometanicæ, ſtatuas interdicenti, ſubſtituerunt illis hæc amuleta metallo fuſa, vel lapidibus inſculpta, aut etiam ſcripta in membranis, appenſa ferentes ad brachia, ſive pendentia è collo. Reipsâ tamen ſemper obtinet eadem

(a) *Vide infra l.3. c.8. n.8.*

eadem ſuperſtitio. Recens quidam Author (*a*) reputat, Theraphim à Rachele ſublatos non alios fuiſſe quàm imagines *Noë* reparatoris generis humani, & *Sem* Principis familiæ Labani; primamque hinc repetit Deorum Penatum, Larium, Vialium inſtitutionem. Hujus equidem generis Dii ipſæ erant Heroum è familiis animæ inter Deos conſecratæ, & ad cultum propoſitæ; vix tamen crederetur, cultum Deorum Penatum Labani ætate obtinuiſſe. Quid verò fuit in cauſâ, ut Rachel Theraphim furaretur? Ut nimirùm, quas illatas ſibi à patre ſuo dicebat injurias, auri argentique, quibus conſtabant Theraphim, furto ulciſceretur, inquiunt nonnulli. Alii, ſubduxiſſe malunt, ne illis conſultis, quònam fugiſſent, Laban addiſceret. Quidam, in eâ fuiſſe perſuaſione Rachelem, cenſent, ut ſubreptis Theraphim, omnem ſimul felicitatem è domo patris in domum mariti avertere autumaret. Aliis viſum eſt, ſubducta Idola, ut Laban ab Idololatriâ revocaretur. Non deſunt tandem qui vanæ hujus ſuperſtitionis ſtudioſas fuiſſe ambas ſorores Liam & Rachelem, ejuſque gratiâ Idola ſecum in Chanaanitidem transferre voluiſſe, autumaverint.

Labanus Jacobum inſequitur. Fœdus inter utrumque.

V. Cum itinere trium dierum jam proceſſiſſet Jacob, tunc primùm Labanus, re intellectâ, fugientem inſequutus eſt. Septimâ die in montibus, qui poſtea Galaad dicti ſunt, aſſequutus, primò de fuga illius graviter conque-

ſtus

(a) *Jurieu Hiſtoire des Cultes.*

ſtus eſt; addidit deinde, ſe pœnas ab ipſo expetiturum fuiſſe, niſi Deus Abrahami, qui nocte ſibi apparuerat, ab omni injuriâ deſiſtendum, præcepiſſet; ac tandem Theraphim ſive Idolorum ſuorum furtum illi exprobravit. Reſpondit alter, ſe idcircò clam fugam iniiſſe, quòd timeret, ne uxores ſuæ vi manere cogerentur: ad furtum autem quod ſpectat, licere ipſi omnia ſcrutari, illumque ex ſuis interficere, apud quem Idola invenirentur. Quæ quidem reſponſio, Rachelem inſcio Jacobo Idola ſurripuiſſe, juſque olim Patribusfamilias in domeſticos ad ſanguinem uſque fuiſſe, luculentiſſimè oſtendit (a). Luſtrante autem Labano tabernacula Jacobi, Liæ, Balæ, & Zelphæ, Rachel ſub ſtramentis Camelorum occultatis Idolis, illis aſſedit; cumque pater ad tentorium ipſius veniſſet, illa, ne aſſurgeret, conſueta fœminarum incommoda cauſata eſt, omnem Labani diligentiam eâ ratione irritam reddens. Jacob deinde viciſſim cum Labano conquerens, præſentem ſibi illatam injuriam, mercedem decies mutatam, animique pravitatem, quâ niſi Deus ſibi adfuiſſet, ſe ad patrem remiſiſſet omninò vacuum inopemque, exprobravit. Cui Laban: Filias, nepoteſque meos habes, cunctaque tua ad me quoque pertinere puto: quid graviùs in illos moliar? Fœdus jam ineamus, erectoque monumento æternam amicitiam firmemus. Igitur mutuum fœdus jurarunt, teſtemque fœderis in-

gentem

(a) *Grotius*.

gentem lapidum acervum erexere, quem Laban patrio, Chaldaico nempe ſermone, *Jegar-Schahaddutah*, acervum teſtimonii, Jacob pariter patrio, Hebræo ſcilicet, ſive Phœnicio, *Galhaed*, acervum teſtis, nuncuparunt. Hinc montes illi *Galaad* nomen ſibi ſumpſerunt. Porrò ex his oſtenditur, fuiſſe inter Chaldaicum & Hebraicum ſermonem diſcrimen, quamvis ab initio unum eſſet idemque idioma, aut non multùm diſcreparent, cum Abraham è Chaldæâ ſive Meſopotamiâ egreſſus eſt. Adjecit autem Laban: Quando è mutuo conſpectu utrique receſſerimus, Dominus teſtis & Judex noſtrùm erit, ſi filias meas malè exceperis, aliaſque uxores illis ſuperſtitibus duxeris: teſtis quoque acervus iſte in utrum ex nobis, qui pravâ mente in alterutrius regionem veniens, hunc tranſierit. Abrahami, Nachoris, eorumque Patrum Deum judicem invoco. Aſſenſit Jacob invocato Deo, quem Iſaac pater ipſius, timebat. Tunc victimis immolatis, ciboque ac potu refecti, mutua amicitiæ ſigna exhibuerunt. Primo autem mane alterius diei Laban ſupremùm filiabus nepotibuſque valere juſſis, in Haran rediit.

Jacobus Eſau adventum veretur.

VI. Jacob iter ſuum in Chanaanitidem proſequens, ad torrentem Jaboch pervênit, ibique duo Angelorum agmina obvia habuit, ex quo deinde locus contigit appellari *Mahanaim*, hoc eſt, *duo caſtra*. Duo agmina iſta erant facilè Angeli tutelares Chanaanitidis, & Chal-

dææ,

dææ. Priores illi veniebant ad excipiendum virum, utque loco eſſent Angelorum Chaldææ, qui deducto Jacob ab Haran aduſque torrentem Jaboch, receſſerant. Eo temporis ſpatio, quo Jacob è domo patris aberat, Eſau frater ipſius Seir montem occupaverat. Hunc montem proſpiciens Jacob, metuenſque, ne fratris vulnus non adhuc eſſet obductum, obſequiis & muneribus illum promereri conſtituit. Miſſis igitur nuntiis ſuum adventum fratri ſignificavit; quo ille audito, 400. viris ſtipatus venienti obviam proceſſit. Hæc cum intellexiſſet Jacob, ſuſpicatus eſt, venire illum cum eo apparatu ad inferendam ſibi injuriam; quare diſtributo agmine, alios præcedere juſſit, alios ſubſequi; ut ſi frater primam turmam aggrederetur, altera è periculo se se proripere poſſet. Ad Deum deinde verſus, qui proſperum in Chanaanitidem iter illi promiſerat, ut se, ſuoſque omnes adverſus Eſau conatus tutaretur, enixè poſtulavit, gratias ſimul illi agens, quod ipſius beneficio, omne ſuum meritum ſuperante, duabus turmis auctus Jordanem eſſet tranſiturus, cum è patriâ fugiens, baculo dumtaxat armatus, illum transvadaſſet. Demulcendo autem fratri munerum loco præmiſit capras, hircos, oves, arietes, camelos, vaccas, tauros, aſinas; præcepitque deducentibus, ut ſuo nomine Eſau omnia exhiberent, adderentque, rogare ſe, ut mittentem non dedignaretur, qui & ipſe eum ſalutaturus veniebat.

VII.In-

Jacobus poſt luctam cum Angelo Iſrael appellatur.

VII. Interim torrente Jaboch ab universâ Jacobi familiâ maturè trajecto, ipſe ſolus in adversâ ripâ ſubſiſtens, obvium habuit Angelum ſub viri ſpecie, quocum uſque mane luctam exercuit. Cum Angelus prævalere non poſſe videretur, digito nervum femoris tetigit, quo ſtatim exareſcente Jacob cœpit claudicare. Tunc Angelus: *Dimitte me*, ait, *aurora eſt*; antequam ſcilicet Sol exoriatur. Cum verò alter ſe non dimiſſurum ſignificaſſet, niſi benedictionem ab eo obtineret, Angelus nomen illius requiſivit, atque exinde non Jacob, ut ille reſpondit, ſed *Iſrael* appellandum præcepit, dicens: *Si contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis?* Porrò nomen Iſrael *Deo prævalentem*, ſeu *Dei Principem*, vel juxta veteres plurimos *Hominem Deum videntem* ſonat. Cum viciſſim nomen Angeli Jacobus requireret: Quid quæris, ait, nomen meum? collatâque illi benedictione, evanuit. Jacob eum locum appellavit *Phanuel*, dicens: *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*; hoc eſt, vidi Deum, ſive Angelum vices Dei gerentem, non per quietem ſeu per viſum, ſed ſenſibili quâdam & corporeâ figurâ, quin tamen aſpectus illius mihi mortem inferret (*a*). Plerique ex Patribus poſt Auguſtinum, in hac cæteriſque Veteris Teſtamenti apparitionibus, Angelum agnoſcunt. Veteres tamen, virum hunc cum Jacobo luctantem, ipſiſſimum Dei

(a) *Calmet in Gen. XVI.* 13.

Dei Filium eſſe dixerunt. Sunt qui putent; fuiſſe Cacodæmonem, qui ſub ſpecie Eſau contra Jacobum pugnarit. Sed qui Jacob benedictionem ab illo poſtulaſſet? Rabbinorum nonnulli autumarunt, bonum Eſau Angelum luctatum eſſe cum Jacobo, ut jura Primogeniti ab ipſo repeteret. Negat Origenes, Jacobum pugnaſſe cum Angelo tanquam cum adverſario, ſed potiùs illum adjutorem habuiſſe in luctâ contra Dæmonem, à quo petebatur. Rupertus omnia interpretatur de vi precum Jacobi, quibus Angelum diutiùs retinere conabatur, ut ab illo extorqueret benedictionem. Credimus & nos, luctam illam ſpiritali ſenſu deſignaſſe preces Jacobi, quarum vi Deum flexit ad miſericordiam, ſibique ipſi veluti devinxit. Moyſes tamen aliquid ſupra preces luculenter oſtendit, cum narret, Jacobum poſt pugnam illam claudicaſſe, luxato femore, eâque de causâ Iſraelitas nervum femoris in cibum ſumere, nefas putare: quæ pariter inviĉtiſſimè probant, Jacobum re ipsâ & non per ſomnium cum Angelo luctaſſe. An autem Jacobus in poſterum claudus manſerit ſemper, ignoramus. Ad abſtinentiam à nervo quod pertinet, nulla eâ de re apud Judæos lex, ſed religioſum tantummodò in Jacobum obſequium. Judæi noſtri ævi à poſteriori armo abſtinent; quamquam nonnullis in locis, detracto nervo ad anum, reliquis in cibum utantur (*a*). Porrò carnes, quas ipſi non

(a) *Leo Modena c.7. n.3.*

non comedunt, non priùs vendant Chriſtianis; quàm ſuâ ipſorum urinâ fœdatas, jactaſque diras in emptores (*a*).

Poſt tranſitum torrentis Jaboch vidit Jacobus fratrem ſuum ad se properantem cum 400. viris, ſtatimque familiam ſuam in duas turmas diviſit, quarum priorem reddebant Bala & Zelpha cum filiis, poſteriorem verò Lia & Rachel cum utriuſque liberis, ita tamen ut Rachel cum Joſepho poſtremum, magiſque tutum agminis locum teneret. Venientem ſepties per intervalla Jacobus, ante omnes progreſſus, demiſſuſque ad terram, ſalutavit. Currente autem in occurſum illius Eſau, ambo fratres mutuis amplexibus se se acceperunt. Interroganti verò Eſau. Quid tibi cum iſtâ manu, quæ tecum venit? Reſpondit alter filios ſuos eſſe & uxores; ſimulque illi omnes Eſau ſalutaverunt. Rogavit deinde Jacob, ut munera, per ſervos ſuos illi oblata, acciperet. Renuentique, quòd omnia illi abundarent; Ne recuſes, adjecit, munera mea; quæ ſi recipies, ego te videbo cum gaudio, tanquam ſi Deum ipſum viderem: complaceto mihi. Eſau oranti vix acquievit; ipſum verò cum ſuis deducere omninò volebat; ſed altero renuente, quòd brevioribus itineribus procedere ob varia impedimenta cogeretur, in montes Seir regreſſus eſt; quò Jacobus venire promiſit. An autem ſucceſſu temporis eò iverit, incertum; tunc cer-

(a) *Buxtorfius Synag. Judæor. c.27. pag.471.*

certè non ivit. Jacob inde ad quemdam locum pervenit, quem ex fixis tentoriis *Socoth*, id-eſt, Tabernacula appellavit. E' Socoth digreſ-ſus, transmiſſoque Jordane venit Salem, Sichimitarum urbem. Ex Evangeliſtâ Joanne (*a*) urbs Salem, ſive Salim jacebat ad littus occidentale Jordanis. Sed de illâ ſermonem hìc eſſe vix credimus, cum nimis à Sichimitis diſtaret: Quare non rari vocem Salem uſurpant pro incolumi. *Venit ſalvus & incolumis in urbem Sichem*; incolumis nempe, inquiunt Judæi, receptâ femoris valetudine non longe ab urbe Sichem. In viciniis hujus urbis emit partem cujuſdam agri à filiis Hemor, patris Sichem, pretio 100. *Keſita*; ibique tentoria fixit, domum ædificavit, erectoque Altari nomen impoſuit, ſive inſcripſit: Fortiſſimus Deus Israël. Porrò Keſita apud Vulgatam & 70. Interpretes ſunt Agni. Plerique tamen ex Rabbinis & Interpretibus monetæ genus, ove ſive agno ſignatæ intelligunt. Suffragatur illis Pelleterius, qui putat, monetam fuiſſe Aſſyriam, hinc ſagittario, inde ove ſignatam (*b*).

(a) *Joan. III.* 25.

(b) *Vide ſupra* §. *de Nummis*.

Dina violatur. Sichimitæ circumciſione initiati interficiuntur. Jacob in Bethel Altare Deo erigit. Nato Benjamino, moritur Rachel. Obitus Iſaaci. Genealogia Eſau.

CAP. IV.

Anno Mundi 2273. Ante Chriſtum 1727. *Dinæ ſtuprum; cujus pœnas luunt Sichimitæ.*

I. DIna Jacobi ex Liâ filia, quindecim circiter annos nata, quibus eſſent moribus, & quâ cultûs elegantiâ Chanaanitidis fœminæ, cupiens videre, in Sichem ad feſti cujuſdam ſolemnitatem vênit (a). Puellam intuitus Sichem filius Hemor Hevæi, Princeps civitatis ſtatim deperiit, ac vì raptam violavit. Deinde poſt delinitam blanditiis puellam, injuriâ acceptâ triſtem, illius nuptias, procurante patre Hemor, petiit à Jacobo exhibitâ, pro more illius temporis, dote, doniſque, quæcunque voluiſſet. Interim à paſcendis gregibus ſupervenerunt fratres Dinæ, deque re certiores facti, ultionem meditantes, petentibus ſororis nuptias annuerunt, eâ tamen lege, ut Sichimitæ circumciſioni ſubderentur, quòd Abrahami genus à ducendis incircumciſis ac filiabus illis deſpondendis interdiceretur: quam quidem inanem cauſam obtendebant Jacobi filii, malum animum ſuum diſſimulantes. Placuit Hemor & Sichem propoſita conditio; quare regreſſi ad ſuos in

(a) *Geneſ. XXXV.*

in urbem Sichem, fœdus illis cum Hebræis ſuadent, proponentes futurum, ut ampliſſimæ Jacobi hæreditatis participes fiant, ſiquidem cum illius filiis detineant commercium & conſuetudinem, miſceantque viciſſim connubia: unum tantùm eſſe, quod bonum illud impedire poſſet, ſi nempe circumciſionis legem non amplecterentur, quæ ad se quòd ſpectaret, rejicienda non erat. Aſſentientibus Sichimitis, illicò omnes vulneri ſubjecti ſunt. Tribus autem elapſis diebus, cum vulneris dolor maximè crudeſceret, duo ex Jacobi filiis Simeon & Levi, quos facilè plures ex domeſticis comitabantur, urbem ingreſſi, Hemor & Sichem, omneſque ſimul viros trucidarunt, Dinamque ſororem ſuam ad patrem, totius ejus cædis inſcium, reduxerunt. Quid deinde acciderit Dinæ, ſilente Scripturâ neſcimus. Rabbini tamen illam tribuunt uxorem Jobo, ſed nulla ratione, nullâque authoritate ſuffulti. Quin oppoſitum probaretur. Si enim Job idem eſt ac *Jobab* (a); quartus princeps Edom poſt Eſau fratrem Jacobi, certè ut Dina filia Jacob cum illo nuptias celebraret, diutiùs vixiſſe oportuit. Poſt Sichimitarum cædem gladio Simeonis & Levi patratam, cæteri Jacobi filii abductis pueris, & mulieribus, omnia, quæ ad Sichimitas ſpectabant, ſive in urbe, ſive in agro, diripientes, magnam inde prædam aſportarunt. Facinus iſtud ægrè tulit Jacob, improperavitque Simeoni

X 2 & Le-

(a) 1. *Paral.* 1. 35. 44. *Gen.* XXXVI. 33.

& Levi, metuens ne finitimorum populorum arma ſuſtinere cogeretur; ſed illi reſponderunt, meritò id Sichimitis accidiſſe, quòd ſorore ſuâ ceu ſcorto abuſi fuiſſent. Quibus tamen factum illud minimè excuſari poteſt. Ultionem enim ſuam & furorem eò provexerunt filii Jacobi, quò certè nunquam pervênit crimen Sichem. An aliud exigi jure poterat ex illo, quàm quod ultrò ſubivit, dum se se paratum exhibuit, & violatam puellam in uxorem adſciſcere, & dotem ac munera quæcumque poſtulaſſent, præbere? Quo tenebantur crimine Sichimitæ, ut eâdem cum Authore ſceleris, cujus fortè ne conſcii quidem fuerant, ultione obvolverentur? An licitum erat abuti cærimoniâ maximè ſacrâ & inviolabili, qualis erat tunc temporis Circumciſio, ut dolum, aſtum & ſævitiam celarent? Excuſet fortaſſe aliquis facinus, quòd Judith Deum totius rei authorem conſtituat, aſſeratque nonniſi juſtitiæ amore id Jacobi filios egiſſe: *Domine Deus patris mei Simeonis, qui dediſti illi gladium .... Zelaverunt zelum tuum* (*a*). Sed reponendum hiſce, factum Simeonis & Levi per se & ad ſuum finem relatum, ad reparandam ſcilicet injuriam ſorori ſuæ illatam, laudem aliquam mereri; ex rerum tamen circumſtantiis barbaræ crudelitatis opus eſſe, dignum quod Jacob, vir tantus, diris devoveret: *Maledictus furor eorum* (*b*). Ad hæc, Judithæ

(a) *Judith IX.* 8. (b) *Geneſ. II.* 7.

dithæ authoritatem infallibilem eſſe, nullo argumento probaretur.

II. Turbato Jacobo, concuſſoque metu Chananæorum, quos filiorum facinus in ipſum animaverat, juſſit Deus, ut è vicinis populis ſe ſubducens, pergeret Bethel, ibique Aram excitaret Domino, qui illi, dum fugeret Eſau furorem, ſcalam oſtendit. Divinas juſſiones intimans Jacob familiæ ſuæ, pro ſacrificii præparatione purificationem, ſive corporis & veſtium lotionem ſingulis indixit, præcepitque omnes Idololatriæ reliquias, ſi quas è Meſopotamiâ, vel è direptione Sichem retinerent, in medium projicerent. Paruerunt illi, exhibentes Idola omnia, quæ apud se habebant, unâ cum annulis, armillis, & inauribus, quibus virtutem Taliſmanicam ineſſe gentis erat opinio: quas res omnes ſub terebintho à tergo urbis Sichem clam omnibus familiaribus, ne quando quis ea defoderet, infodit. Ex eâ urbe, nemine iter infeſtante, Bethel venit; Deus enim immiſſo in Chananæos timore, illos continuit, ne recedentem Jacobum perſequerentur. Vix eò pervenerat, cum Debora, Rebecchæ nutrix fatis functa eſt. Inſinuare videtur Chryſoſtomus, vetulam hanc diſcedente Rebeccâ ſubſtitiſſe in Meſopotamiâ: deſiderio autem videndi iterùm heram ſuam, comitem ſe addidiſſe Jacobo redeunti in Chanaanitidem: ſed in itinere morte occupatam, ſpe deſiderioque ſuo fraudatam fuiſſe (a).

Jacobus in Bethel.

X 3 Pro-

(a) *Hom. 59. in Geneſ.*

Prope Bethel ſepulta eſt ſub quercu, quæ deinde dicta eſt *Quercus fletûs*. Dum Jacob in Bethel verſaretur, apparuit ei iterum Deus, promiſſa olim illi, ejuſque patri Iſaaco, & avo Abrahamo facta, innovaturus, nomenque Iſrael, quod ei impoſitum fuerat in Phanuel, confirmaturus. Jacobus viciſſim grati, memoriſque animi ergo erexit ibi novum monumentum, vel potiùs quod antea excitarat, cum fugeret in Meſopotamiam, iterum reſtituit, iterumque affuſo vino & oleo conſecravit. Confirmavit etiam loco nomen *Bethel*, quod Domus Dei interpretatur. Facilè tunc oblatæ fuerunt a viro ſancto, tanquam voti reo, gregum ſuorum decimas (*a*).

Oritur Benjamin, Rachel moritur, Ruben paternum thorum violat.

III. Non diù ſubſtitit in Bethel Jacobus, ſed Hebronem verſus procedens, Iſaacum patrem ſuum, prope eam urbem in convalle Mambre verſantem, inviſurus, cum ab Ephratâ, alio nomine Bethlehem, abeſſet jugero ſive ſulco terræ, ſpatio ſcilicet 240. pedum (*b*), Rachel partûs doloribus correpta, filium enixa eſt; cui *Ben-oni*, nempe *Filium doloris mei*, mater nomen indidit; pater verò illum appellavit *Benjamin*, nempe *Filium dexteræ meæ*, vel *meridiei*, quòd in eâ Chanaanitidis plagâ natus ſit, quæ meridionalis eſt venientibus è Meſopotamiâ & Sichem. Ben-jamin ſignificare quoque poteſt, *Filium diei*, *filium ſenectutis*. Omnium enim poſtremum Jacobus illum ſuſcepit. Pariendi difficul-

(a) *Vide ſupra l. 2. c. 7. n. 1.*

(b) *Plin. l. 15. c. 13. Calmet in Gen. XXXV. 16.*

cultate Rachel oppreſſa interiit, ejuſque cadaver Jacob ibidem ſepulturæ mandavit, monumentum inſuper ſtruens, quod tempore Moyſis adhuc perſeverabat. Extat adhuc noſtrâ etate concameratus anguſtuſque fornix, quatuor quadratis ſtipitibus totidem arcus conſtituentibus innixus, quo elegantiſſima pyramis ſuſtinetur. Sed hæc cum ætate Jacobi non congruunt; niſi tamen ſucceſſu temporis monumentum à Jacobo erectum, innovatum credamus. Iter deinde proſequutus eſt Jacobus, & ad Turrim gregis, mille circiter paſſus à Bethlehem, Orientem versùs, ut quidam tradunt, conſtitutam, tentoria fixit; quo in loco Ruben patris thorum, cum Balâ, illius uxore, quamvis ſecundariâ, congreſſus, violavit: ex quo Primogeniti jure, cæterùm ſibi debito, privatus deinde fuiſſe creditur, quo Judas ornatus eſt.

IV. Venit tandem Hebronem Jacobus, patremque ſuperſtitem nactus, cum eo treſdecim circiter annos vixit. Obiit Iſaaccus, 180. annorum ætate oppreſſus, poſt 42. annos, ex quo cæcitate laborans benedictionem, Eſau debitam, tranſtulit in Jacobum: nec difficilè credimus, convaluiſſe illum ab eodem morbo. Patres omnes noſſe profeſſi ſunt in Iſaaco abſolutiſſimam Salvatoris imaginem. Ejus ortus diù expectatus, iteratisque oraculis prænunciatus, ejus nomen, riſus exprimens & gaudium parentum, non obſcurè Jeſum Chriſtum prænunciatum, & expectatum à Patriarchis & Prophetis, quorum ſo-

Anno Mundi 2288. Ante Chriſtum 1712.

Iſaaci obitus, & laus.

ſolatium & ſalus eſſet, referebat. Quòd ille ſe patri ſuo ad mortem uſque ſubdidit obſequio, coloribus adeò vivis Chriſti ſacrificium exprimitur, ut ne falli quidem volentes poſſint. Tandem morbus & cæcitas Iſaaci, quibus fallentibus benedictionem ſuam contulit Jacobo, excluſo Eſau, in mentem reducunt Jeſum Chriſtum, qui coactus quodammodo Synagogam reprobavit, quam eò uſque & adhuc paterno amore proſequebatur: collectamque è Gentibus Eccleſiam ejus loco ſubſtituit.

Eſau Poſteritas. V. Mortuo Iſaaco, corpus illius à Jacobo & Eſau ſepulturæ mandatum eſt. Porrò hæc ante venditum Joſephum hìc per anticipationem narrantur. Poſt obitum patris, depoſitis ſimultatibus vitam aliquo tempore ſimul egerunt duo illi fratres(*a*); ſed cùm idem ſolum alendis utriuſque gregibus impar eſſet, Eſaù Idumæam ſeceſſit, ut libera paſcua Jacobo relinquerentur. De tempore & genere mortis Eſau omnia incerta. Author Teſtamenti duodecim Patriarcharum obiiſſe illum dicit anno 40. Patriarchæ Judæ, dum arma in Jacobum moveret. Sed hiſtoricis hiſce quanta fides! Cenſent nonnulli, Regem Erythron, ex quo mari Erythræo nomen, ipſiſſimum eſſe Eſau, ſive Edom; nam Edom Hebræum eſt Rufus, quemadmodum & Græcum Erythros. Eſaü typum fuiſſe reproborum, certum eſt; an verò ipſe reprobus ſit, ignotum. Eſau tres habuit uxores, Oholibamah, Ada, & Ba-

(a) *Gen. XXXVI. 7.*

& Baſemath. E' priore illâ nati Jehus, Ihelon, & Core: ex alterâ, Eliphaz: ex Baſemath, Rahuel. De poſteris filiorum Oholibamah nihil tradit Moyſes. Ex Eliphaz nati Theman, Omar, Sepho, Gatham, Cenez, & Amalec. Ex Rahuele geniti Nahath, Zara, Samma, & Meza. Hi omnes erant *Aluphim* ſive Duces, in proprias ſinguli familias ſeu Tribus imperantes (*a*). Ducibus iſtis ſive Patriarchis accenſentur à Moyſe Reges, numero octo, Bela ſcilicet, Jobab, Huſam, Adad, Semla, Saul, Balanan, & Adar. Porrô Reges iſti facilè alienigenæ fuerunt, ſi excipias Jobab, qui filius erat Zaræ de Boſra; nam Zara iſte creditur per Rahuelem genus ſuum ex Eſau deducere. Jobab autem, vulgò perſuaſum eſt, ipſiſſimum eſſe S.Jobum, patientiæ exemplum illuſtre. Tertio tandem loco Moyſes enumerat Duces, vel Principes, Thamna, Alva, Jetheth, Oholibama, Ela, Phinon, Cenez, Theman, Mabſar, Magdiel, & Hiram. Hinc nonnulli autumarunt, Idumæos poſt gubernatam ab exordio Legibus Ariſtocratiæ, in Imperium Monarchicum degeneraſſe, ac tandem ad Ariſtocraticum rediiſſe. Fortè tamen nunquam Regibus caruit Idumæa, ſaltem in aliquâ ſui regione, cum interim in aliis provinciæ locis præeſſent Duces & Principes, alter quidem hìc, alter alibi, Rempublicam eodem tempore ſimul adminiſtrantes. Cum Sacer Scriptor de Idumææ Regibus verba faceret, ait, illos

(a) *Gen.XXXVI.* 15.

illos *regnaſſe in terrâ Edom*, *antequam haberent Regem filii Iſrael* (*a*); quæ quidem verba nonnulli addita putant ab aliâ quàm à Moyſis manu, quæ ſub Saule & Davide, quo tempore in Iſraele Reges eſſe cœperunt, ſcripſerit. Hæc tamen minimè probant intentum, ſi conſtituamus, Moyſem verbis illis exprimere tantùm, quòd licet ante initam à se Rempublicam, ſingulis Hebræorum Tribubus ſuum præfuiſſet Caput, & Princeps, qui jura in totam eam Tribum daret; neminem tamen eò uſque in univerſam gentem imperaſſe, Regiâ uſum poteſtate; cum viciſſim Idumæorum gens jam coaluiſſet in unum, ſuoſque Reges numeraſſet.

Quid rei Jamin ab Anâ inventa?

VI. Veteres incolæ regionum, quæ deinde Eſau ejuſque poſteris ceſſerunt, erant filii Seïr Horræi, qui jam inde ab Abrahami ætate ante ortum Iſaaci numero & viribus floruerant (*b*). Bello in Horræos geſto, eas gentes ab Eſau ſuperatas fuiſſe, legimus (*c*), quamvis nihil eâ de re ultra ſciamus. Inter Duces, qui ex Seïr genere in regione imperarunt, recenſetur Ana, qui dum paſceret in deſerto aſinos patris ſui Sebeon, invenit *Jamim*. Hæc vox Interpretes maximè exercuit. De aquarum calidarum ſcaturigine S.Hieronymus interpretatus eſt, quem quidem ſenſum retinet vulgata. Alii verò reddunt Mulos, docentes, virum illum introduxiſſe equos ſive equas, ad aſinos, ſive aſinas. Rabbinus Abra-

(a) *Gen.XXXVI.* 31. *XXXVI.* 20. & 30.
(b) *Geneſ.XIV.* 6. & (c) *Deuter.II.* 12.

Abraham Sephorat, apud Munſterum, deſignatos Dæmones, & Satyros, putat. Sunt tandem qui velint, Anam incidiſſe in gentem quamdam, quibuſcum manus conſeruerit, vel aliquid aliud memorabile præſtiterit, quod non exprimit Author, ſed ætate illâ ſatis innoteſcebat.

VII. Certum eſt, Eſau ab exordio ſedes habuiſſe ad Orientem meridionalem Chanaanitidis, in ſuperioribus maris mortui, à Nabathæis non longè diſſitas; ubi Seïr Horræi Principatus & Regnum; ſed pariter verum eſt, poſteros Eſau tenuiſſe regionem Idumææ ad meridiem Palæſtinæ, quæ ab Oriente & Occidente protendebatur à mari Mortuo aduſque Erythræum. Longâ jam ætate montes ibi regnantes tenebant, cum Iſraelitæ ſubierunt terram promiſſionis; locuſque eſt ſuſpicandi, ipſum per se Eſau poſt obitum patris ſui Iſaac, regionem illam ſubegiſſe, ac conſtituiſſe in ſedem ſibi ſuiſque poſteris nonnullis, cum alii primam regionem, ubi olim regnaverant poſteri Seïr, & adhuc fortè in quibuſdam locis regnabant, amarent. Duplex ergo fuit Idumæa, altera Orientalis, cui Bozra, altera Occidentalis, cui Petra præerat. *Duplex Idumæa.*

Si

Simultas filiorum Jacobi in fratrem Joſephum, qui liberatus à nece, venditur, duciturque in Ægyptum. Phares & Zara Judæ oriuntur ex Thamar. Joſephus heræ ſollicitanti reſiſtit; quare fœminæ illius operâ adigitur in carcerem; e quo per Pharaonem educitur poſt interpretata quædam inſomnia. Aſeneth in uxorem ducit.

CAP. X.

Cur Joſephū fratres odio habuerint.

I. JAcob præ cæteris liberis diligebat Joſephum, quòd eum ſenex ab uxore accepiſſet, vel potiùs quòd ipſe adoleſcens eſſet ſapientiâ & prudentiâ ſenibus comparandus (*a*). In amoris autem argumentum tunicâ polymitâ, multiplici ſcilicet colorum picturâ variatâ, illum veſtivit. Hæc fratres Joſephi ægrè ferebant adeò, ut ne ſalutatione quidem illum dignarentur. Odii cauſam adauxit ipſe Joſephus, cùm ad annum decimum & ſextum perveniſſet; tum enim fratres ſuos, filios nempe Balæ & Zelphæ, quibuſcum gregem paſcebat, de *crimine peſſimo* apud patrem accuſavit. Dictum hoc exponunt pleríque de crimine brutali & contra naturam; alii verò de ſermonibus, quibus inter se odium fovebant adversùs Joſephum; quos ſanè Joſeph ad patrem deferens, de acceptâ ab illis injuriâ conque-

(a) *Samaritanus, & Verſiones Chald. Perſ. Arab.*

queſtus ſit. Flamma tamen livoris tunc maximè exarſit, cum fratrum manipulos ante manipulum ſuum proſterni, cultumque ſibi exhiberi à Sole, Lunâ & undecim ſtellis, per quietem ſe vidiſſe, narravit. Somnii ſenſum illi pervadentes ſtatim, magis magiſque in ſimpliciſſimum fratrem animati: Nunquid, reſponderunt, Rex noſter eris? Pater quoque, etſi ſomnium illud notans, propheticum aliquid ſubodoraret, filium tamen increpans: Tantâ ne, inquit, de tuis rebus tenêris opinione, ut credas habiturum te coram ſupplices parentes tuos cum fratribus?

II. Quâdam verò die fratres, qui ad paſcua in Sichem oves deduxerant, mandante patre, Joſeph inviſuros adivit; ibi tamen minimè inventos, quodam indicante invenit in Dothain. Quem illi procul aſpectum ſtatim interficere, & in quamdam ciſternam veterem projicere, cogitarunt, patri poſtea à belluâ diſcerptum renunciaturi; interim illud ingeminabant: Ecce ſomniator venit. Tantæ inhumanitati, quam Simeon præ omnibus fratribus promoviſſe creditur, obſiſtens Ruben, propoſuit, ut in ſiccam illam ciſternam Joſephum quidem demitterent, ſed à fraterno ſanguine manus ſervarent innoxias: quæ ideò illis indulgebat, ut lenito illorum furore, tandem è ciſternâ eductum patri reſtitueret. Ejus conſiliis fratres acquieſcentes, puerum veſte polymitâ nudatum, in ciſternam demiſerunt. Verùm paulò poſt, dum cibo reficerentur, ſupervenerunt Mercatores Iſmaëlitæ,

Anno Mundi 2276. Ante Chriſtum 1724.

Joſephus Iſmaëlitis venditur.

ex

ex Galaad in Ægyptum varia aromata aſportantes, quibus, ſuggerente Judâ, eductum è ciſternâ viginti, vel ut quædam exemplaria præferunt, triginta argenteis vendiderunt. Ruben ejus rei ignarus, ad ciſternam venit, atque vacuam nactus, dolens fratres adivit; à quibus initæ negotiationis certior factus eſt. Celando autem ſceleri in fratrem admiſſo, illius tunicam hædi ſanguine perfuſam ad patrem miſerunt per nuncios, qui illi ſuo nomine dicerent: Hanc invenimus: vide utrùm tunica filii tui ſit, an non. Jacobus viſâ veſte, filium a beſtiâ devoratum credidit, ſciſſiſque veſtibus ac cilicio indutus, illum veluti mortuum flevit. Convenientibus autem filiis, ut ipſius dolori aliquod levamen afferrent, nunquam adduci potuit, ut tantiſper ſaltem conſolaretur; quin identidem exclamabat: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*. Infernus plura ſignificat apud Sacras Scripturas, locum ſcilicet, in quo impii poſt mortem cruciantur; Lymbum Sanctorum Patrum, ubi illorum animæ Salvatoris adventum opperiebantur, unde digreſſæ poſt ejus reſurrectionem ad æternam felicitatem perrexêre: ac tandem ſepulchrum. De Inferno, in primo ſenſu accepto, certè non loquebatur Jacobus. Sed neque de ultimo; cum non potuerit ſibi perſuadere, corpus ſuum unâ cum Joſephi cadavere in eodem ſepulchro recondendum eſſe. Remanet ergo, ut locutus ſit de Lymbo, ſeu de Abrahami ſinu, uti Hebræi locum illum appellant, quò ſe deducendum

dum ſperabat Jacobus unâ cum Joſepho.

III. Circa hoc tempus Judas, quartus Jacobi ex Liâ filius, uxorem duxit Sue, cujuſdam Sue viri Chananæi filiam, ex quâ tres ſuſcepit filios, Her, Onam, & Selam. Her primogenito mulierem, Thamar nomine, in uxorem pater tradidit; ſed Her, quòd inſigniter improbus eſſet, à Deo percuſſus interiit (*a*). Cujus potiſſimùm ſceleris reus eſſet Her, Scripturâ ſilente neſcimus; ſed plerique agnoſcunt in eò vitium aliquod contra naturam. Sublato Her, Judas viduam nurum Onano adjunxit, ut per eum mortuus frater filios ſuſciperet. Sed Onan ægrè ferens, quòd naſcituri filii, fratris, non ſui, habendi eſſent, nefando opere Thamar à conceptione prohibuit. Cujus ſceleris pœnas repoſcens Deus, illum interfecit. Thamar utroque conjuge viduatam juſſit ſocer, tandiù in domo avitâ viduam manere, quouſque Sela tertius filius adoleſceret. Fortè animo minimè ſyncero loquebatur Judas, expectationem Thamaris fallere meditatus, ratuſque excepturam illam alium virum, ac proinde abſolvendum se à neceſſitate tradendi illi tertium filium, cui fratrum infortunium timebat. Mulier conditioni acquieſcens, diutiùs in patriis ædibus manſit, nihil interim de implendis promiſſionibus Judâ cogitante. Poſt aliquot annos, cum Judas, viduatus & ipſe uxore ſuâ, in Thamnas tondendis ovibus tenderet,

Juda filiam Sue Chananæi uxorem ducit. Ejus cum Thamar inceſtus.

(a) *Gen. XXXVIII.*

ret, unâ cum Hirâ gregis paſtore, vel ut alii vertunt, ipſius amico, Thamar ejus rei certior facta, proſtitutam fœminam ementita in itinere venientem ſocerum expectavit. Ille fœminam incautus offendens, ratuſque meretricem aliquam, ut ſibi copiam ſui faceret, poſtulavit. Renuenti, niſi pretium daret, hædum promiſit, promiſſioniſque ſuæ pignus, ita illâ exigente, annulum, armillam & baculum dedit. Thamar igitur ex ſocero concepit; ſtatimque depoſito theriſtro, ſeu velo, quo ſe obtexerat, mutatoque habitu meretricio, ac ſumptis viduitatis veſtibus, ad propria reverſa eſt. Judas verò fidem ſuam liberaturus, miſit Hiram, ut ad Thamar hædum deferret; qui cum nec fœminam, nec quemquam de illâ referentem nactus eſſet, rediit ad Judam: Ille hæc intelligens: pignora mea, ait, repetere nolo, ne, ſi res divulgetur, de ridiculo & probro habear (*a*). Quibus Judas agnoſcit, faceturque rei à se geſtæ fœditatem; ut mirari ſubeat, nonnullos Scriptores noſtrates cenſuiſſe, fornicationem tunc fuiſſe rem in medio poſitam. Jure quidem poſt Chryſoſtomum, Ambroſium, & Theodoretum hujus ſcortationis crimen ex circumſtantiis excuſare poſſumus, maximè ex parte Thamaris, quæ deſiderio tantùm ſuſcipiendi liberos ad virum acceſſerit (*b*); ſed

(a) *Geneſ. XXXVIII. 23: juxta Hebræum.*

(b) *Chryſoſt. hom. 61. in Gen. Ambroſ. in Luc. l. 3. n. 18. Theodoret. q. 95. in Geneſ.*

ſed factum defendere, & ab omni labe purgare nequimus, quin ſimul Divinam æternamque Legem damnemus, quæ *propagationis causâ ſtatuit hominis concubitum fieri; & hoc nonniſi ſocialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis* (a). Fruſtra autem Gentilium & quorumdam Rabbinorum authoritas adduceretur in contrarium, quos vel ignorantia, vel ſalacium voluptatum amor tam malæ cauſæ exhibuit patronos.

IV. Tribus elapſis menſibus, indiciis conceptionis in fœminâ prodeuntibus, obſtrepere ſtatim Judas, ignem minitari; quin & mulier ad ſupplicium ducebatur. Jus patrisfamilias in domeſticos ex hoc intelligas; cujus ſententiæ nequaquam opponitur pater Thamar, apud quem illa verſabatur. Perſuaſum tamen habemus, Judam rigorem ſententiæ mitigaturum, vel ſaltem illam ſuſpenſurum uſque ad tempus editi fœtûs. Dum Thamar ad ignem raperetur, productis annulo, armillâ, & baculo, miſit, qui Judæ diceret: Cum eo concubuit Thamar, ad quem hæc ſpectant. Tunc Judas, iniquiorem se præ illâ pronunciavit, palamque crimen ſuum faſſus, quòd ſcilicet affectatâ nimis dilatione connubii cum Selâ filio ſuo, Thamarem ad non conceſſum cóncubitum adegerit, omnem in se commiſſi inceſtûs culpam tranſtulit.

Thamar inceſtum manifeſtans ab igne liberatur.

(a) *Auguſt.l.13. contra Fauſt. c.61. & 62.*

Phares, & Zara oriuntur. V. Supervenit tandem pariendi tempus, & apparentibus duobus gemellis Thamar diſcruciabatur. Primus manum ex utero eduxit, cui obſtetrix ſtatim alligavit purpureum filum, hæc addens: *Iſte egredietur prior*, hoc eſt, jura primoris natu habebit. Eo verò retrahente manum, egreſſus eſt alter; quod cum fœmina illa vidiſſet: *Quare*, ait, *diviſa eſt propter te maceria?* Quibus verbis variæ tribuuntur interpretationes. Cur parietem diviſorium effodiſti? Cur diſſidium attuliſti in familiam, in jure primoris natu fratrem tuum naſcendo præveniens? Aliter: Dividaris tu, quoniam disrumpere voluiſti, quod te obvolvebat, & fratrem tuum præcedere. Tandem ita reddi poteſt Textus: Quandoquidem tu diviſionem fregiſti, tuo periculo id fiat; in te recidet malum; de te ipſo querere. Hac de causâ obſtetrix nomen illi indidit *Phares*, quod diviſionem ſonat. Prodiit deinde frater ipſius, qui præ manu coccinum ferebat: cui nomen datum *Zara*, ſcilicet Oriens, ſive claritas. Creditur Thamar poſt exceptos à Judâ geminos illos filios, ab omni deinceps viri conſortio abſtinuiſſe, retento viduitatis ſtatu uſque ad obitum. Et quidem, Judam illam ultra non cognoviſſe, teſtatur Scriptura. Revertendum nunc ad Joſephum.

Inſignis Joſephi caſtimonia. VI. In Ægyptum, quò iter ſuum inſtituerant mercatores Ismaëlitæ, profecti, Putiphari Eunucho Regis Pharaonis, & militiarum magiſtro,

giſtro, ſeu ejuſdem Principis excubiarum Præfecto, Joſephum vendidere: qui heri ſui animum ita ſibi devinxit, ut eo tradente, domum reſque omnes domeſticas curandas ſuſceperit (a). Putiphar verò optimâ famuli adminiſtratione, quam Deus ſuâ benedictione augebat in dies, profecit adeò, ut quantum opûm haberet, ne intelligeret quidem; cumque maximè Œconomo illi prorſus fideret, nihil ſibi reſervavit curarum, quàm ut menſæ aſſidens appoſitis cibis veſceretur. At verò Putipharis uxor juvenem adeò cœpit deperire, ut ad turpia ſæpè allexerit, & conſtanter obſiſtentem eo uſque die quâdam adegerit, ut dimiſſo, quo detinebatur pallio, de manibus ejus vix proſilierit. Quare indignata mulier, de tentatâ ſuâ pudicitiâ Joſephum apud maritum detulit, qui irâ exardeſcens in vincula illum ſtatim conjecit. In carcere poſitum Deus nequaquam dereliquit, ſed carceris cuſtodem in illum demulcens, diſpoſuit, ut ab eo curæ illius cæteri carcere detenti committerentur. Autumant nonnulli, cuſtodem carceris unum eumdemque fuiſſe cum Putiphare, qui refrigeſcente paulatim iracundiæ æſtu, vel quòd ejus innocentiam temporis beneficio perſpectam habuerit, vel quòd ejus tactus fuerit calamitate, rigorem pro viribus remiſerit, quin tamen illum reſtitueret in libertatem, ratus id indulgendum genio uxoris ſuæ, cujus furorem adversùs Joſephum metuebat.

(a) *Geneſ. XXXIX.*

Joſephus carceri mãcipatus Pincernæ & Piſtoris Pharaonis ſomnia interpretatur.

VII. Inter eos qui, Joſephi curæ erant commiſſi, fuerunt Pincerna & Piſtor Pharaonis, quondam illi Regi chari, tunc verò, eodem offenſo, ab Aulâ rejecti, & in carcerem detruſi. Hos quâdam die turbatos præ ſolito nactus Joſephus, ecquid illis accidiſſet, requiſivit. Somnium vidimus, reſponderunt illi, quod nemo interpretari valet. Inquietus ille hominum animus ſatis probat morem illorum conſulendi Divinos, & fidem quam auguriis ejuſmodi addicebant Ægyptii. Verùm Joſephus: Num, ait, ad alium, quàm ad Deum inſomniorum interpretatio ſpectare poteſt? Referte mihi quid videritis; nam ſpero futurum, ut arcana pandat mihi Deus. Tunc Pincerna: Mihi viſus ſum videre vitem, tribus ornatam propaginibus, ex quâ gemmæ paulatim creſcerent, & poſt flores matureſcerent uvæ; meque ex illis expreſſum muſtum in calicem, uti conſueveram, Regi offerre. Benè eſt, excepit Joſephus; poſt triduum Pharao te tuo muneri reſtituet. Quare cum fauſta hæc tibi evenerint, memento, ut ſuggeras Pharaoni, ſublatum me è regione trans Euphratem, & ingenuum licet, veluti ſervum tamen venditum, atque in malorum cumulum inſigni maximè injuriâ huic carceri mancipatum: ex quo ut me extrahat, poſtulabis. Hac interpretatione delectatus Piſtor; Ego verò, ait, per quietem tria caniſtra, candido pane referta, capiti impoſita portabam. Quod autem aliis eminebat, continere videbatur,

præ-

præter panem, quidquid piſtoriâ parari poteſt; cui advolitantes aves, cibos inde ſumebant. His auditis, reſpondit Joſephus: Poſt tres dies, abſciſſo capite, cruci affigêris, avibus dilaniandus. Prædictiones probavit eventus; nam triduo poſt Pharao, cum diem ſui natalem celebraret, Piſtorem juſſit ſuſpendi, Pincernam verò muneri reſtituit; qui tamen Joſephi oblitus nihil cum Pharaone ad ſui Interpretis ſalutem egit.

Joſephus Pharaonis ſomnia enodat, rationemque avertendæ caritatis tradit.

VIII. Duobus poſt annis Pharao quoque per quietem vidit ſeptem vaccas pingues, totidemque macie confectas, à Nilo aſcendentes; ex quibus poſtquam priores in pratis, poſteriores in ipſius fluminis ripâ paſtæ fuiſſent, optimæ illæ ab emunctis voratæ ſunt. Monſtro territus Pharao expergefactus eſt; ſed obrepente iterum ſomno, iterum obdormivit Rex, dormientique idem portentum, ſub aliâ tamen ſpecie, obverſatum. Vidit igitur ſeptem ſpicas graves, & pulchras, totidemque languidas, urentique vento percuſſas, ex eodem culmine prodire; quarum priores à poſterioribus, non ſecus ac boves, voratæ ſunt. Facto mane intellexit Rex, ſomnium illud non phantaſticam, uti cætera, rerum ſpeciem exhibuiſſe; quare accitis Ariolis, Divinis, Genethliaciſque ſomnium expoſuit; ſed cùm nec per ſe, nec per illos, ſomnii interpretationem aſſequeretur, vehementer angebatur. Meminit tunc Joſephi Pincerna è carcere liberatus, utque Piſtoris ſuique ſomnium

enodaſſet, Regi ennarravit. Juſſu Regis è carcere protinus eductus Joſephus, tonſo capite & mutatis veſtibus, ſiſtitur Pharaoni; à quo cum laudaretur, quòd exquiſitâ interpretandi ſomnia polleret facultate: Eſt, inquit, ſummus ſomniorum Interpres, cujus ego miniſter tantùm & organum. Is autem eſt Deus, quem rogo ut te ſervet, opemque tibi ſuam præſtet & favorem. Cum verò Pharao ſomnia ſua illi expoſuiſſet, alter extemplo reſpondit, duplex de vaccis & ſpicis ſomnium idem portendere, ſeptennio ſcilicet ubertatis ſeptennium ſterilitatis ponè ſucceſſurum; tantam autem futuram ſeptem annorum penuriam, ut ſeptem præcedentium annorum fertilitatem ſit abſumptura. Monuit proinde Regem, ut tributum indiceret populis quintæ partis fructuum, quos florente ubertatis ſeptennio collegiſſent, eamque vir induſtrius per miniſtros in eam rem per omnes Regni Provincias deſtinatos, recondet in Regis horreis, quò ſeptennii caritatem avertere poſſet. Nonnulla apud Prophanos legas, quæ narrationi huic affinia dixeris. Scribit Achmetus (*a*), boves tenues per quietem viſas exprimere ſterilitatem, vel quamcumque temporum difficultatem. Refert Tacitus (*b*) ſomnium, in quo ſpicarum inverſarum corona penuriam portendebat. Sed avertat Deus à nobis eam mentem, ut credamus, Joſephum in explicatione ſomniorum futiles Divinorum

(a) *Achmet.c.*239. *circa initium*.
(b) *Tacit.l.XI.Annal.*

vinorum conjectationes ſecutum fuiſſe, quorum ſcientia omnis nihil habet certum ſive à Philoſophiâ petitum, ſive à Religione, ſive ab experientiâ, ſed temerè omnia; ut nihil hominum imbecillitatem magis ad ſenſum demonſtret, quàm prona illorum in vana iſta commenta facilitas. Si Deus interdum ſomnia, ut certa rerum indicia miſit, ſenſum pariter illorum ſive per ſe ipſum, ſive per Prophetas revelavit: quod ipſe Joſeph innuit illis verbis: *Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni* (*a*). Cui quidem Textui idem vindicari poteſt ſenſus, ac illi apud Matthæum: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri* (*b*).

IX. Conſilio Joſephi Pharao adhærens, ipſum rei gerendæ præfecit, domuſque regiæ, & totius Ægypti adminiſtratione in eum collatâ, ſolo Rege minorem denuntiavit. Inſignitus deinde annulo Regis ſignatorio, veſte ex tenuiſſimo lino, ſive goſſypio contextâ indutus, monili aureo decoratus, in curru denique, qui regio tantùm cedebat, ſublimis, circumvectus eſt, clamante interim præcone, ut omnes genuflecterent, debitamque, veluti Ægypti adminiſtratori, obedientiam præſtarent. Secundùm hæc, Rex dixit illi: *Ego ſum Pharao; abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum aut pedem in omni terrâ Ægypti*. Quæ perinde valent, ac ſi dixiſſet: Regis tantùm nomen mihi re-

Anno Mundi 2289. Ante Christum 1711.

Toti Ægypto Joſeph præficitur.

(a) *Geneſ. XLI. 16.* (b) *Matth. X. 20.*

reſervo; authoritatem in ſubjectos mihi populos diſpoticam tibi committo; vel Juro: per Regiam meam dignitatem, injuſſu tuo gerendum nihil. Mandante deinde Pharaone, vocari cœpit: *Zaphnat-Phaneah*; quod Ægyptiacè juxta Hieronymum *Salvatorem Mundi ſonat*; alii autem vertunt, *Qui abdita pandit*; vel, *Qui myſteria revelat*. Pharao tandem Aſenethem, Putipharis Heliopolitani Sacerdotis filiam illi deſpondit; ex quâ duos filios ante ſeptennium ſterilitatis ſuſcepit, Manaſſen ſcilicet & Ephraim. Manaſſes valet: *Qui oblivionem inducit*; filio enim illo naſcente, Joſephus ærumnarum omnium præcedentium oblitus eſt. Ephraim *Abundantiam* ſonat; quod nominis alteri filio ſuo impoſuit Joſephus, ſe à Deo bonis omnibus auctum ſignificans. De Putiphare autem diſſident Scriptores; alii enim Putipharem hunc, ſocerum Joſephi, alterum eſſe ab hero, qui deductum in Ægyptum captivum emit, tuentur; alii ipſiſſimum defendunt. Sed priorum ſententia melioribus probatur. Primus namque Putiphar Dux erat cuſtodum corporis in Aulâ Pharaonis, quæ erat Tani, vel Memphi juxta Auguſtinum; alter verò erat Sacerdos in urbe Heliopoli; quæ duo vix in uno eodemque conciliarentur. Ferunt quidem Hebræi apud Origenem, priorem illum Putipharem referente Aſeneth filiâ intellexiſſe, non à Joſepho uxorem ſuam ſollicitatam ad crimen, quin potiùs Joſephum illius preces ac vim recuſaſſe; ob idque conci-

Anno Mundi 2290. *Manaſſes oritur.*

Anno Mundi 2291. *Ephraim oritur.*

ci-

ciliatas inter Joſephum & Aſeneth nuptias; verùm quâ authoritate hæc dicantur, neſcimus.

Fratres Joſephi in Ægyptum venientes, veluti exploratores excipiuntur. Domum remiſſi, redeunt in Ægyptum unâ cum Benjamin; quibus variè tentatis noſcendum ſe præbet Joſephus. Iterum domum regreſſi, iterum in Ægyptum deſcendunt, patrem Jacobum ſecum ducentes, quibus Terra Geſſen conceditur.

CAP. XI.

Septennium fertilitatis, cui ſeptennium ſterilitatis ſuccedit. Filii Jacobi in Ægyptum deſcendunt.

I. TRiginta annorum ætatem agebat Joſephus, cùm muneri ſuo implendo omnes Ægypti provincias præſens inviſit, in id potiſſimùm intentus, ut pro colligendâ quintâ parte fructuum omnia opportunè diſponerentur. Venit igitur ſeptem annorum fertilitas, quam Joſephus prædixerat; quo tempore tanta frumenti, omniſque frugum generis abundantia in horreis congregata fuit, ut omnem menſuram excederet. Tandem octavo anno ingruit egeſtas, ab eodem Joſepho prænunciata, quæ non modò Ægyptum, ſed & alias regiones, præſertim Chanaanitidem, Jacobi domicilium, conficiebat. Ægyptios omnes, omneſque exteros undique in Ægyptum convenientes, ut frumento ſibi proſpicerent, Pharao ad Joſephum in quem, unum

rem

rem totam contulerat, remittebat. Joſephus autem apertis horreis, triticum pro auro & argento vendere cœpit. Hæc audiens Jacobus filios ſuos in Ægyptum ad cibum comparandum dimiſit, uno tantùm domi retento Benjamino, qui patri grandævo ſolatium eſſet, & levamen.

Anno Mundi 2297. Ante Chriſtum 1703.

Joſephus fratres ſuos variè tentat.

II. Ut fratres ſuos ad genua provolutos vidit Joſephus, ab illis minimè cognitus, aſperè excepit, exploratoreſque vocavit, qui notandis debilioribus Ægypti munimentis veniſſent (*a*). Excuſando viro à mendacii peccato valet Auguſtini doctrina, nullum ſcilicet eſſe mendacium, cum per ludum & ridendo aliquid affirmatur, citra omne perſuadendi conſilium (*b*). Filii Jacobi invidioſam à ſe depellere notam conantes, aſſerebant, ſe cibum tantummodo capturos in Ægyptum veniſſe, miſſos à patre ſuo, qui duodecim quidem habuit filios, ſed veniſſe tantùm decem, quòd unus minimus ſcilicet, apud patrem detineretur, alter verò non ſupereſſet ampliùs. Ad quæ Joſephus: Hæc omnia avertendæ à vobis ſuſpicioni minimè apud me valent; tamdiù ergo vos tamquam exploratores habebo, donec eorum, quæ aſſeritis, certa exhibebitis argumenta: adducendus eſt in medium minimus ille frater veſter; alioquin vivat Pharao, hinc non egrediemini. Imperavit deinde,

(a) *Gen.XLII.* *Geneſ. Vide & quæſt.*
(b) *Quæſt.* 145. *in* 139.

de, ut in carcerem detruderentur. Tertio autem die eduxit illos de carcere, juſſitque, ut domum reverterentur, eò aſportantes frumentum, inde poſtea minimum fratrem ſecum in Ægyptum deducturi; interim unus illorum in vinculis detineretur. Fidem ſuam illi oppignorarunt; ſed ſceleris in Joſephum commiſſi reminiſcentes, dixerunt adinvicem: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus*. Adjecit autem Ruben: *Numquid non dixi vobis: nolite peccare in puerum; & non audiſtis me? En ſanguis ejus exquiritur*. Putabant autem, Joſephum non intelligere hos ſermones, quòd loqueretur ad eos per interpretem. Quantùm ex hac narratione aſſequimur, fratres Joſephi nullo indigebant interprete, ut ſenſa ſua Ægyptiis inſinuarent; Joſephus autem fortè illum adhibuit, ad majeſtatis ſeveritatem & ad terrorem fratribus ingerendum. Fratrum pœnitentiam ex illorum ſermonibus intelligens Joſephus, miſericordiâ tactus, lacrymatus eſt; ne tamen hæc illi obſervarent, parumper abſceſſit. Reverſus deinde ad illos, imperavit, ut Simeon, qui facilè præ cæteris illi infeſtior fuerat, coram omnibus ligaretur, nec, niſi illis ex Chanaanitide reverſis, ſolveretur. Dimittens deinde fratres, in ſingulis eorum ſaccis frumenti pretium, quin rem illi perciperent, celari juſſit, addito inſuper pro itinere commeatu.

III. Cum

Fratres Joſephi unà cũ Benjamino in Ægyptũ iterum proficiſcuntur.

III. Cum perveniſſent ad quoddam diverſorium, unus ex illis jumento ſuo pabulum præbiturus, reperit in ore ſacci pretium frumenti, quòd cæteri videntes, admirati ſunt vehementer. Domum regreſſi, omnia quæ ſibi acciderant, Jacobo narraverunt, apertiſque ſaccis pecuniam ſuam ſinguli reperêre. Conditionem de Benjamino, in Ægyptum deducendo, ut audivit pater illorum, indoluit, ac diù multùmque reſtitit; ſed tandem fame coactus, reliquis filiis rogantibus indulſit Benjaminum, Judâ unâ cum Ruben fidem ſuam oppignorante illum in Chanaanitidem reducendi. Imperavit autem, ut fructus quoſque ſelectiſſimos, reſinam præterea, mel, ſtoracem, ſtacten, terebinthum, & amygdalas, muneris loco Ægypti Gubernatori deferrent, ac duplo plus pecuniam, quàm in ſaccis repererant. Fuſis tandem ad Deum precibus, oravit, ut cor Gubernatoris Ægypti molliret, quò & Simeonem, & Benjaminum unâ cum cæteris filiis, quibus tunc orbabatur, ad ſe remeare permitteret. Abeuntes illi deſcenderunt in Ægyptum unâ cum Benjamino; quem ut vidit Joſephus, Œconomo ſuo convivium pararet, fratreſque omnes, ad ſecum prandendum, in conclave reciperet, juſſit. Cum autem illi timerent, ne ſub pecuniæ, in ſaccis repertæ, obtentu, in ſervitutem redigerentur, rem totam Œconomo aperuerunt, ſibique imprudentibus id contigiſſe aſſeverantes, eamdem pecuniam erogare parabant unà cum aliâ quam pro

emendo alio frumento attulerant. At ille recuſans ex Joſephi præcepto, dicebat, ad manus ſuas jam perveniſſe pecuniam, quam illi exſolverant; uni proinde Dei beneficio tribuendum, quòd aliam pecuniam in ſaccis ſuis repererint; nihil ergo eſſe, cur timerent. Hæc cum dixiſſet, Simeonem, vinculis ſolutum, ad illos adduxit, præbuitque aquam, quâ pedes lavarent, & pabulum, quo aſinos reficerent. Interim facto meridie venit Joſephus, patriſque nomine ſibi oblatis muneribus hilari animo acceptis, an pater valeret, & an juvenis comes, fratribus minor eſſet, poſtulavit. Affirmantibus illis ad Benjaminum converſus Joſephus: Fili mi, ait, precor Deum, ut tibi propitius ſit. Talia dicenti viſcera commota ſunt; nec lacrymis temperare valens, in cubiculum ingreſſus flevit, lotâque poſtea facie ad illos rediens, omnes convivio excepit; quorum numerum Ægyptii, qui Joſephum comitabantur, auxerunt. Menſæ aſſidentibus alter fuit locus Ægyptiis, alter Hæbræis; quòd cum Hebræis comedere prophanum eſſet Ægyptiis. Unde hæc ſuperſtitio? An quòd Hebræi non abſtinerent ab animalibus, quæ ſacra erant & inviolata apud Ægyptios? An potiùs quòd Hebræi paſtoritiam exercerent, vitæ genus apud Ægyptios probroſiſſimum? Utcunque ſit, Joſephus, qui ſeorſum ab omnibus diſcumbebat, convivis, ordine juxta ætatem diſpoſitis, appoſitas ante ſe dapes dividens, ſingulis portionem ſuam miſit, Benjamino tamen

partem,

partem, quæ quinque partibus eſſet major, elargitus; quod non minimi ſtuporis cauſa fuit.

Joſephus facto periculo de amore, quo Fratres Benjaminū proſequerētur, illis ſe manifeſtat.

IV. Ut verò Joſeph fratrum fidelitatem & amorem erga Benjaminum periclitaretur, adminiſtratori domûs ſuæ præcepit, ut in ſingulis eorum ſaccis frumenti pretium iterum abderetur, in ſacco autem Benjamini; & ſcyphus, quo ipſe utebatur, adderetur. Quibus ita paratis mane alterutrius diei fratres dimiſit. Vix urbe egreſſis, miſit procuratorem poſt eos, qui aſſequeretur, & retineret, exprobraretque illis præterea, peſſimè ab eis Gubernatoris Ægypti beneficia repenſa fuiſſe, ſuffurato Scypho argenteo, quo ad *bibendum & augurandum* vir ille princeps utebatur. Hæc cum diceret homo imperitus, in eâ facilè erat perſuaſione apud Ægyptios obtinente, Joſephum ſcilicet magicis ſuperſtitionibus initiatum fuiſſe, illumque tunc maximè divinare & abdita pandere, cum ſcypho illo uteretur. Scyphus divinatorius apud antiquos implebatur aquâ, habebatque ſuper impoſitam laminam argenteam, vel gemmas aliquas, certis characteribus inſculptas; tum obmurmuratis nonnullis verbis, Dæmon invocabatur, qui ex imo fundo aquæ ſibilo quodam dabat reſponſa (*a*). Objectum crimen negarunt filii Jacobi, & ad carcerem mortemque paratos se se exhibentes, eum apud quem patera fuiſſet, morte, cæteros ſervitute damnandos

(a) *Vide Calmetum, Geneſ. XLIV.* 5.

dos eſſe, reſponderunt. Quibus ille: furem tantummodo quæro, cæteros incolumes dimittam. Apertis itaque eorum ſaccis, ſcyphum in ſacco Benjamini reperit; Quo viſo, ſciſſis veſtimentis in urbem regreſſi ſunt; Joſeph duriùs illos excepit, addiditque, tantâ se pollere divinandi ſcientiâ, ut furati ſcyphi reum optimè noſſet. Cui Judas cum nihil reſpondere poſſet, Dei ultionem de ſcelere in Joſephum olim patrato animadvertit, ſeque fratreſque omnes in mancipia illi exhibuit. Verùm ille: nequaquam, ait, ita erit; ſed qui furatus eſt ſcyphum, ipſe ſit ſervus meus: vos autem abite liberi ad patrem veſtrum. Tunc Judas pro viribus conatus eſt Benjaminum liberare, pro quo fidem ſuam patri Jacobo deſponderat, idque totum aperiens Joſepho, vehementer obſecrabat, ut se ipſum pro Benjamino in mancipium acciperet, ne ea miſerrimo ſeni afferretur calamitas, cui planè ſuperſtes eſſe non poſſet. His auditis, lacrymas Joſeph ultra cohibere non potuit; quare Ægyptiis omnibus egredi juſſis, se eſſe Joſephum fratrem eorum faſſus eſt, & an pater adhuc viveret, poſtulavit. Illos autem nimio terrore concuſſos, minimè reſpondentes, bono eſſe animo juſſit, adjecitque, quinque annos adhuc ſupereſſe ſterilitatis, Deum verò se ab eis vendi permiſiſſe, ut ſuo in Ægyptum adventu futuræ eorum calamitati proſpiceret: quare protinus ad patrem properarent, eumque de ſuâ apud Pharaonem gratiâ, & in univerſo

verſo Regno poteſtate probè inſtruerent, & in Ægyptum adducerent, terram Geſſen dono accepturi, ubi incolatum ſibi, & familiis, paſcua verò pecudibus haberent. Singulos deinde, & præcipuè Benjaminum amplexatus, lacrymis rigavit; poſt quæ Joſephum alloqui fratres tandem auſi ſunt. Ægyptii, qui foris erant, ploratum, ſermoneſque, quos illi adinvicem miſcebant, audientes, id quod erat ſubodorati, rem ſtatim ad Pharaonem detulerunt; qui ſummopere gaviſus, Joſepho imperavit, quantocyùs fratres ſuos in Chanaanitidem mitteret ad patrem, ut in Ægyptum unâ cum illis, familiiſque omnibus deſcenderet; ſuaderetque, ut moleſte non ferrent, ſi quid deſerere cogerentur, abundè omnia in Regno ſuo adepturi; ac tandem illis exhiberet quidquid advehendis uxoribus filiiſque opus eſſet. Dedit ergo illis Joſephus plauſtra, quibus familia tota cum impedimentis deportaretur in Ægyptum, ac cibaria pro itinere. Singulis quoque binas veſtes, Benjamino verò trecentos argenteos, & quinque veſtes optimas tradidit. Tantumdem etiam pecuniæ, & veſtium, additis decem aſinis, omnis generis divitiis onuſtis, munus ad patrem deferendum fratribus conſignavit; & inter ipſos pacem in viâ commendans, tandem dimiſit.

Anno Mundi 2298. Ante Chriſtum 1702.

V. Ubi verò ad patrem pervenerunt, omnia illi retulere; qui quaſi à ſomnio, quod ſibi obverſatum eſſet, evigilans, narrantibus filiis non-

nonniſi viſis plauſtris, muneribuſque omnibus, quæ ſibi à Joſepho miſſa fuerant, fidem adhibuit; nihilque tum ad ſolatium ſibi deeſſe profeſſus eſt, quàm ut Joſephi conſuetudine ante mortem frui ſibi liceret. E' convalle igitur Mambre cum totâ familiâ movens, in Beerſabee vênit, ubi poſt oblatum in Altari, à se Domino olim conſecrato, ſacrificium, noctu à Deo monitus eſt, ut in Ægyptum iter proſequeretur, ſciretque futurum, ut Joſeph ſupremum claudendi ſibi oculos officium præſtaret, progenieſque ſua, in Ægypto aucta, tandem in Chanaanitidem revertens, ſuum cadaver, in terrâ promiſſionis condendum, transferret. Narrat Moyſes, animas quæ tunc in Ægyptum ingreſſæ ſunt,ſeptuaginta fuiſſe (*a*);quo tamen in numero computantur nedum ipſe Jacobus, & Joſephus cum geminis illius filiis, ſed & nonnulli alii Jacobi nepotes, qui nati ſunt in Ægypto,quo tempore Jacobus in illâ regione ſuperſtes fuit.Septuaginta Interpretes,quos ſequitur S.Stephanus (*b*),pro ſeptuaginta viris legunt ſeptuaginta quinque.Hæc autem ſumma ab illis redditur ex additione quinque nepotum Joſephi ex Manaſſe & Ephraim nimirum Machir, & Galaad,ex Manaſſe;Sutalaam,Taam, & Edom ex Ephraim; quos omittendos hìc cenſuit Moyſes,factâ alibi de illis mentione (*c*). Porrò numerus ille 70. fœminas omnes & mancipia excludit.En omnium nomina.

Jacobus in Ægyptum deſcendit. Familiæ ipſius recenſentur.

(a) *Gen. XLVI.* 27.
(b) *Act.VII.*15.
(c) *Num.XXVI.*29.

Filii Ruben; Henoch, Phallu, Heſron, & Charmi.

Filii Simeon; Jamuel, Jamin, Ahod, Jachin, Sohar, & Saül.

Filii Levi; Gerſon, Caath, & Merari.

Filii Juda; Her, Onan, Sela, Phares, & Zara.

Her tamen & Onan jam obierant; Ex Phares autem nati ſunt Heſron, & Hamul.

Filii Iſſachar; Thola, Phua, Job, & Semron.

Filii Zabulon; Sared, Elon, & Jahelel.

Filii Gad; Sephion, Haggi, Suni, Eſebon, Heri, Arodi, & Areli.

Filii Aſer; Jamne, Jeſua, Jeſſui, Beria, & puella Sara; Beria pater fuit Heber, & Melchiel.

Filii Joſeph; Manaſſes & Ephraim.

Filii Benjamin; Bela, Bechor, Asbel, Gera, Naaman, Echi, Ros, Mophim, Ophim, & Ared.

Dan unicum tantùm filium habuit Huſim.

Filii Nephtali; Jaſiel, Guni, Jeſer, & Sallem.

Joſephus patrem ſuum Jacobum excipit.

VI. Joſeph vix ut patrem adeſſe, per Judam ad eam rem nuntiandam deſtinatum, intellexit, ſimul ad illum in terram Geſſen, ubi ex condicto ſubſtiterat, convolavit, & poſt mutuos amplexus, fletuſque; Jam lætus moriar, inquit Jacobus, quia vidi faciem tuam & ſuperſtitem te relinquo. Joſephus autem commiſit illi,

illi, ac fratribus, ut profiterentur coram Pharaone, quem de illorum adventu monere volebat; paſtores ovium eſſe ſe, quò ſcilicet, aſſignatam ſibi ab illo obtinerent terram Geſſen: *Quia*, ait, *deteſtantur Ægyptii omnes paſtores ovium*. Regio Geſſen erat omnium uberrima, atque, uti quidem conjicimus, pluviis irrigua, raris cæterùm in totâ, potiſſimùm ſuperiori, Ægypto; nomen enim Geſſen accerſit S.Hieronymus ex Hebræo *Geſchem*, quod pluviam ſignificat. Tractus ille ad Orientem & Septemtrionem in Ægypto inferiori porrigitur. Nomum Arabicum appellant Geographi regionem viciniorem Arabiæ, & Mari Rubro, Nomo Tanitico oppoſitam. Inter Urbes Geſſen præerat Rameſſes; Urbs quoque On, dicta deinceps Heliopolis, ibi ſita fuiſſe creditur.

VII. Sed unde illa Ægyptiorum in Paſtores ovium alienatio? Dicunt nonnulli, Hebræos, qui paſtoritiam ovium exercebant, perinde habitos fuiſſe, ac ſi pecus illud mactarent, ſive ad cibum, ſive ad ſacrificium; viciſſim autem Ægyptios conſecraſſe id generis animantia; quare ab illis immolandis, jugulandiſquè Religione abſtinuiſſe, eâque de cauſâ Hebræos paſtores execraſſe. Non ergo inviſi fuiſſent apud Ægyptios Hebræi, ovium paſtores, eâ tantùm de cauſâ, quòd paſtoritiam exercerent; ſed quòd eadem pecora mactarent. Scriptura tamen contraria omnia inſinuare videtur: *Quia deteſtantur Ægyptii omnes paſtores ovium*. Alia igi- *Ægyptiorū odium in Paſtores.*

tur hujuſce Ægyptiorum odii in ovium paſtores cauſa quærenda eſt. Refert Manethon (*a*), exercitum quemdam exterorum hominum è lateribus Arabiæ vel Orientis moventem, ſuperfudiſſe se se Ægypto, eamque primo impetu occupatam, ſpatio annorum 511. ſubjectam habuiſſe. Conſtabat autem exercitus ille ex obſcurâ & viliſſimâ gente; quare Principum illorum ſeries appellabatur *Hic-Sos*, Reges Paſtores; quos Ægyptii ſuſceptâ in illos expeditione diù adnixi tandem è regione depulerunt. Hin repetendam quidam volunt genuinam odii Ægyptiorum in paſtores cauſam. Non ergo Ægyptii paſtores omnes execrabantur; quin potiùs in honore erant apud incolas, dummodò eâdem è gente, paſtores, pecudi ſibi ſacro, multùmque quà lacte, quà lanâ fructificanti, operam impendentes. Verùm alienigenæ ſolùm paſtores, vagantesque populi, inviſi erant genti quàm maximè, quòd diù multùmque à Regibus Paſtoribus vexati fuiſſent.

Joſephi Filiis Regnum in Ægypto nonnulli aſſerunt.

VIII. Boivinius Senior, præeunte Joſepho, Reges Paſtores repetit ex ipſis Hebræis, eorumque primum autumat fuiſſe Ephraimum, Joſephi filium, qui Pharaonis ſucceſſoribus idololatricos cultus in terram Geſſen inducere molientibus reſtiterit, eâque de causâ Ægyptios bello petierit, ſubjugaritque. Huic ſyſtemati multa adverſantur, imprimiſque chronologicæ Uſſerii ſupputationes, quibus irruptio Regum Pa-

(a) *Apud Joſephum contra Appion.pag.*1042.

Paſtorum in Ægyptum conſignatur anno circiter Mundi 1920., centum penè annis ante natum Abrahamum. Deinde, poſteros Jacobi in Ægypto regnaſſe, nuſquam inſinuat Scriptura; quæ quidem res omittenda non erat. Ad hæc, Reges Paſtores ſpatio annorum 511. imperium in illâ regione prorogarunt; cum tamen certum ſit, Hebræos illic nonniſi 215. vel ad ſummum 430. annos verſatos fuiſſe (a). Tandem nullis aſſertis monumentis firmaretur, hiſtoriæ ſeriem interrumpi in Scripturâ ab obitu Joſephi, quo clauditur Geneſis, aduſque ortum Moyſis, quo Exodus aperitur; quod tamen Syſtema Boivinius ſupponit. Habet quidem Manethon, illam Regum Paſtorum gentem, ab Ægyptiis depulſam occupaſſe Palæſtinam, urbemque Jeroſolymorum ædificaſſe; quod unis Hebræis convenire poteſt; ſed cenſemus, Scriptorem illum Regum Paſtorum geſta cum geſtis Hebræorum confudiſſe, anſamque errandi Joſepho Hiſtorico præbuiſſe.

IX. Joſephus, cum patris & fratrum adventum Pharaoni nunciaſſet, quinque ex fratribus ad illum deduxit: qui de exercitio, quo occupabantur, requiſiti, se ovium paſtores eſſe, reſponderunt; veniſſe autem in Ægyptum, quòd ingraveſcente ſterilitate in Chanaanitide, gregibus herba defeciſſet; orare, ut in terrâ Geſſen morari ſibi liceret. Annuit Rex, imperavitque Joſepho, eorum votis ſaceret ſa- *Jacobus ad Pharaonem introductus, Terram Geſſen obtinet.*

 tis,

(a) *Vide ſupra l.1. c.3. n.3.*

tis, & ſi quidem viros induſtrios illos noſſet; Regiis gregibus curandis præficeret. Introductus deinde Jacobus, vota ſua Pharaoni pro diuturno & felici illius Regno, expreſſit. Interrogatus autem de ætate, reſpondit, dies peregrinationis ſuæ 130. annos explere, malos quidem, quin & paucos, maximè ſi cum longævâ patrum ſuorum vitâ conferantur. Secundùm hæc, Joſephus patrem & fratres in poſſeſſione Geſſen ſtatuit; quæ & Rameſſes ex urbe cognomine appellata fuit; atque fame adhuc graſſante, quæ illis eſſent neceſſaria, ſuppeditavit.

Bona omnia Ægyptiorũ in Regis jus tranſeunt.

X. Cum Joſeph in Regia æraria contuliſſet omne argentum & aurum, quod illi pro frumento numeraverant Ægyptii, deficiente omni pecuniâ, populus, quod unicè ſibi ſupererat, greges primùm, deinde agros, omnemque hæreditatem ſuam pro frumento Joſepho vendidit; ſicque tandem in Regis jus omnia devenêre. Ne autem terra inculta maneret, Joſephus latifundia populo unâ cum ſeminibus reſtituit, eâ conditione, ut quinta pars fructuum vel proventuum terræ Regi cederet in perpetuum; incolaſque ſimul unius loci in alium transmigrare coëgit, quò ſubditis, nova illâ penſione gravatis, occaſio omnis rebellandi præcideretur. Hoc tamen onere liberi erant Sacerdotes, quibus curavit Pharao, ut ſæviente ſterilitate alimenta ſufficerentur, ne hæreditatem ſuam venderé cogerentur. Cenſet Grotius nomine Sacerdotum

tum Ægypti hìc deſignatos à Moyſe Aſtrologos, Medicos, Phyſicos, Geometras, Hiſtoricos.

Jacobus morti proximus Ephraimum præfert Manaſſi, legat Joſepho agrum propè Sichem, ſua ſingulis filiis fata prædicit. Celebris de Meſſiæ adventu prophetia. Funus Jacobi. Joſeph obit.

C A P. XII.

I. Annis Septemdecim in Ægypto abſumptis, ſe morti proximum Jacobus intelligens, advocavit Joſephum, qui requiſitus à patre, manu ſub illius femore poſitâ, ejus cadaver in Chanaanitidem se delaturum, inque Patrum ſuorum ſepulchrum illaturum, interpoſito juramento ſpopondit; quo jurante, Jacobus *adoravit Deum, converſus ad lectuli caput* (a). Docent, temerè prorſus, Rabbini, ideò eo corporis habitu adoraſſe Jacobum, quòd haberet faciem converſam ad Terram promiſſionis, quam Judæi orantes ſemper reſpiciunt. Sed magis ad literam ita interpretaretur: Cum lectulo ſuo Jacob aſſidens verba feciſſet cum Joſepho, eo jurante, Deum adoravit, iterumque recubuit, caput reclinans in cervicali. Septuaginta loco lectuli legunt baculum. Hinc S. Paulus habet, Jacobum incurvaſſe se coram ſceptro, quod Joſephus inſigne dignitatis ſuæ geſtabat (b).

Anno Mundi 2315. Ante Chriſtum 1685.

Jacobi cadaver in Chanaanitide ſepeliendū.

Z 4 Ob-

(a) *Gen. XLVII.* 31. (b) *Hebr. XI.* 21.

Obſervat S. Auguſtinus, verba Scripturæ ad hunc ſenſum referri poſſe, adoraſſe ſcilicet Deum, vel baculo ſuo, vel baculo Joſephi innixum (*a*).

Jacobus Manaſſi & Ephraimo inverſo ordine benedicit, ac quēdam agrum Joſepho legat.

II. Non diù poſt utrumque liberum Manaſſem & Ephraimum aſſumptos ad patrem gravi morbo laborantem, Joſeph adduxit, quos ſtatim Jacob ſibi filios adoptans ad inſtar Rubeni & Simeonis inter cæteros filios ſuos juſſit numerari, nolens tamen, ut hæc prærogativa communis eſſet aliis Joſephi filiis, ſi quos deinceps ſuſcepiſſet. Tunc Joſephus ſtatuit Manaſſen, natu majorem, ad dexteram Jacobi, Ephraimum verò ad ſiniſtram, ut ab eo benedicerentur. Sed ille dextrâ Eprhaimi capiti, ſiniſtrâ verò capiti Manaſſis impoſitâ, imprecatus eſt, ut quem Deum ipſe habuiſſet ad id uſque protectorem, ille ope ſuâ eos pariter protegeret, quos nomine, & jure filiorum ſuorum ipſe augebat. Hæc egrè ferens Joſeph, patri, ut manus mutaret, etiam atque etiam ſuadebat. At ille: deſine, inquit; ſciens enim prudenſque Ephraimum præfero Manaſſi, quòd Ephraimus, quamvis natu minor, majori tamen poſteritate, robore, & gloriâ florebit. Sua fides manſit oraculo; Tribus enim Ephraimi inter florentiſſimas & potentiſſimas Iſraëlis primas tenens, caput fuit in Regno decem Tribuum. Prædixit tamen Jacobus, Joſephum in ipſo etiam Manaſſe ita bonis omnibus augendum, ut cum Iſraëlitæ

fauſta

(a) *Auguſt. q.162. in Geneſ.*

fauſta in aliquem imprecabuntur, dicturi ſint: Congerat in te Deus benedictiones, quibus Ephraimum & Manaſſen cumulavit. Vaticinatus etiam eſt, poſt obitum ſuum, Deum illis, totique familiæ ſuæ ſemper adfuturum, eoſque tandem in Chanaanitidem reducturum. Poſtremò agrum, quem ſibi comparaverat *de manu Amorrhæi in gladio & arcu*, ſupra cæteros fratres Joſepho legavit. Conſtanti traditione tenetur, hanc hæreditatis portionem agrum fuiſſe, quem Jacob pretio emerat à filiis Hemor (*a*). Cum verò illum *in gladio & arcu* ſibi comparaſſe fateatur, putant nonnulli, Jacobum, poſtquam receſſiſſet ab urbe Sichem, ubi erat ager ille, ob cædem, quâ filii ſui in Sichimitas ſævierant, agrum ſuum, Amorrhæis, qui eum occupaverant, expulſis, recuperaſſe.

III. Poſt aliquod temporis ſpatium, accitis ad ſe filiis, futurorum eventuum ſeriem aperuit; quâ occaſione nec meritas laudes, nec debitas verborum caſtigationes pro ſingulorum factis præteriit. Incipiens igitur à Rubeno, ait, illi quidem ortûs prærogativâ aſſerenda fuiſſe dona, cæteris inſigniora, juraque primogeniti; ſed quòd patris thorum, cum Balâ ejus concubinâ congreſſus, violaſſet, ideò è privilegiis hiſce excidendum eſſe, diſſipandumque, velut effuſam aquam & adinſtar torrentis, qui extra lectum ſuum ſtagnat. Nunquam equidem Tribus Ruben crevit ſive numero, ſive dignitate, ſive

Benedictiones Rubenis & Simeonis.

(a) *Gen. XXXIII. 19.*

ſive robore. Duplex portio in ſucceſſione hæreditatis in Joſephum translata eſt, Sacerdotium in Levi, Imperium in Judam. Facinus deinde Simeonis & Levi adverſus Sichimitas deteſtatus, diſpergendos illos in regione fratrum ſuorum prædixit. Nec ſanè illorum Tribus niſi diſperſæ ſubſtitêre. Nulla enim certa ſedes & hæreditas Levi conſtituta eſt. Tribui verò Simeonis pars quædam è Tribu Juda avulſa, aſſignata fuit (*a*); Cui facta eſt acceſſio quarumdam regionum in montibus Sehir & in deſerto Gader (*b*). Judæi, & quidam Patres, Scribas & Doctores Hebræorum ferè omnes è Simeonis Tribu originem duxiſſe ſcripſerunt, qui per univerſum Iſraëlem, non ſecus ac Levitæ & Sacerdotes diſperſi, oraculo Jacobi fidem aſſeruerint.

Singularis Judæ benedictio, quâ Oraculum de Meſſiâ continetur.

IV. Ad Judam cum veniſſet, deſumptâ occaſione ex nomine illius, quòd Laudem ſonat, prædixit futurum, ut à fratribus ſuis laudaretur, ceu obtinens inter illos principatum, & ab hoſtibus, quos prælio eſſet victurus, inſtar Leonis timeretur, ſortitus præterea regionem vino, & lacte maximè redundantem. Cui notum eſt, inter Judæ poſteros recenſeri Davidem & Salomonem, ejuſque Tribui latiorem uberioremque quâ vineis, quâ paſcuis, Chanaanitidis partem ceſſiſſe, de hujus vaticinii veritate minimè dubitabit. Veteres quidam explicant hæc omnia de Jeſu Chriſto, quem ex Judæ ſtirpe

(a) *Joſue XIX.1.&c.* 39. 42.
(b) *1.Paralip.IV.27.*

pe prodiiſſe, certum exploratumque eſt. Potiſſimùm autem illi conveniunt, quæ ſequuntur: *Non auferetur ſceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio gentium*. Veteres omnes Chriſtiani æquè ac Judæi conveniunt, apertiſſimum hoc eſſe de adventu Meſſiæ vaticinium; eademque eſt Onkelos, Jonathan, & Targum Jeroſolymitani ſententia. Profectò ſi horum Interpretum tanta eſt vetuſtas, quantam volunt Judæi, ut ſuperet Jeſu Chriſti ætatem, eorum confeſſio demonſtrationis loco habenda eſt; non enim Synagogæ ſententiam ignorare poterant. Si verò Jeſu Chriſto ſunt recentiores, validius adhuc eſt argumentum; neque enim tanti momenti oraculum è noſtris manibus eripere auſi ſunt. Nonniſi poſt illos cœpit apud Judæos nobis de hoc loco lis intentari; quamvis & poſt illud tempus nonnulli ex Rabbinis, quos inter Kimchi, Abenezra, Jarchi, hìc agi de Meſſiâ fateantur, Meſſiæ tamen gloriam Jeſu Chriſto denegantes.

Jacobæum Oraculũ a Meſſiâ explicatur.

V. *Non auferetur ſceptrum de Juda & Dux de femore ejus*. Agi hìc de ſummâ poteſtate & jure regnandi, obvius ſenſus exprimit, aſſeriturque authoritate Septuaginta, qui legerunt: *Non deficiet Princeps ex Judâ*: ut nimis affectata ſit illorum Judæorum interpretatio, qui ſceptrum non de virgâ Dominationis, ſed de virgâ tribulationis, quâ illi affliguntur, intelligant. Nec meliora ſentiunt, qui volunt, ſceptrum exprimere exterum Im-

perium

perium illud, cui manent ſubmiſſi, vel ſpem potiundi tandem ſceptro, recuperandæque, quâ deſtituuntur; ſupremæ poteſtatis; nemo enim non videt, hæc pro re natâ ab Judæis reponi, ut ſe ſe ab anguſtiis extricent. *Donec veniat qui mittendus eſt*. Hebræus ad literam: *Donec veniat Siloh*, ſeu *Schilo*. Poſtrema hæc vox grammaticalem ſenſum ſectantibus crucem figit: S. Hieronymus legebat fortè *Schiloach*, cùm reddiderit: *Qui mittendus eſt*. Verùm Septuagintâ legiſſe videntur, ut hodie pariter eſt in Hebræo, *Siloh*; habent enim: *Donec veniat ille, cui ſervatum eſt*, nempe *Regnum*; vel juxta alia exemplaria: *Donec veniant, quæ repoſita ſunt ei*. Interpretantur alii: *Donec veniat Pacificus*, vel *Proſperitas*; alii: *Donec veniat, ſive naſcatur Filius*, ex fœminâ ſcilicet, quæ virum ignoret; alii: *Donec veniat finis ejus*; nempe *Regni*; quaſi diceretur: Tamdiù poſteri Judæ regnabunt, quamdiù Judæorum populus & reſpublica ſubſiſtet; alii: *Donec veniat paſſio illius*; alii: *Donec veniat filius, qui illi ſuccedet*; hoc eſt: Ceſſabit tunc apud Judam ſumma poteſtas, cum venerit legitimus hæres, cujus in manus imperium remittet. Ne tamen laboremus in inveſtigandâ grammaticali ſignificatione vocis *Silo*, vel *Schilo*, ſatis ſit demonſtraſſe, ſummum fuiſſe veterum Judæorum cum noſtris conſenſum in determinando ejus ſenſu, ut reddat *Meſſiam*: Quidam ex Rabbinis nomen illud uſurpant de urbe Palæſtinæ, quæ *Silo* appellatur. Ita igitur ex-

explicant Jacobi vaticinium : Sceptrum de Judâ non tolletur poſt deſtitutionem Silo, aliò ex eâ urbe translato Tabernaculo, ſive Arcâ Domini; ſed exinde penes Judam ſumma erit ſemper poteſtas. Huic tamen explicationi obſtat, quòd Tribui Judæ non ſtatim à translatâ Arcâ in urbem Cariat-jarim collatum ſit Imperium. Samuel enim poſt illud tempus longum tenuit regnum,& poſt Samuelem regnavit Saül;quo rerum potiente electus eſt David ex Tribu Judæ. Præterea Adventus *Siloh* obvio ſenſu exprimit exitum, non autem exordium rerum in Judâ florentium. Alii ex eisdem Rabbinis putant, Saülem & Jeroboamum ad urbem Silo in Reges Judæorum ſalutatos fuiſſe, idque à Jacobo ſpectatum. Verùm de hac apud urbem Silo inauguratione ne verbum quidem in Scripturâ. Fac, in Silo Saul & Jeroboamus Reges creati fuerit, nihil tamen exinde conſequeretur; Sauli enim & Jeroboamo nihil commune fuit cum Tribu Judâ, à quâ alieni erant genere; & tamen Veterum traditio ſemper intulit ex oraculi hujus teſtimonio, Siloh ſivè Meſſiam è Tribu Judæ fore naſciturum : quin nonnulli ita reddunt Textum: *Non auferetur ſceptrum de Juda*, *donec ex ejus ſemore*, ſive *ſanguine*, *veniat Siloh*. Quibus confutata manet illorum quoque ſententia, qui in Moyſe, in Nabuchdonoſore, in Herode, in Veſpaſiano, in Tito, Siloh paruiſſe contendunt. *Et ipſe erit expectatio gentium*. Hebræus redderetur etiam: *Cœtus*, vel *congregatio*

gatio populorum erit ipſi; ſive *Obedientia populorum erit ei*; ſeu: *Ipſe erit Gentium protectio*. Quibus Meſſiæ Regnum deſignatur.

Oraculū de Meſſiâ uni Jesu Chriſto quadrat.

VI. Rata hæc omnia & aſſerta in Jeſu Chriſto. Ex quo enim in Davide Tribus Judæ ſupremam poteſtatem adepta eſt, ad Chriſtum uſque illam conſervavit. Circa tempora verò Jeſu Chriſti poteſtatem illam amiſit, ſive quòd Herodes Judæis datus ſit Rex à Romanis; ſive quòd res Hebræorum per Romanos deletæ fuerint. Non me fugit, Hebræos etiam poſt hæc tempora ſuos habuiſſe Seniores vel Patriarchas, tum in Paleſtinâ, cum in Babyloniâ, quorum dicto omnes audirent;ſed umbraticus ille Principatus magnificis Jacobi profetiis minimè reſpondet. Ad hæc, cum poteſtas illa non ampliùs ſuperſit, Meſſiæ adventum ulteriùs differre apta non eſt. Populi Æthyopiæ, ſive Abyſſiniæ reapſe Chriſtiani ſunt. Demus igitur, ipſorum Imperatorem, qui vulgò Pretejanni appellatur, ex Salomone per Sabam reginam ſuum referre genus, originemque ex ipſo Judâ deducere, ac puram putamque fabulam amplectamur; nihil tamen, quòd Judæorum præjudicio de perſeverante adhuc apud ſuos Judæ ſceptro, favere poſſit, haberetur. Obtrudunt ſanè & aliud Regnum in ignoto & diſſito Terræ tractu, nonnullique illud aſſignant in Bagdad ultra Euphratem; ſed cùm Regnum hoc omnibus Geographis & Itinerantibus incognitum ſit, in fabularum cenſum meritò amanda-

datur (*a*). Cætera etiam, quæ vaticinio Jacobi comprehenduntur, Chriſto adamuſſim congruunt. Ipſe enim quâ dictis, quâ miraculis, ſe à Deo Patre miſſum, teſtatus eſt. Novum Regnum, Eccleſiam ſcilicet ex Judæis & Gentilibus coaleſcentem, in Mundum invexit; proindeque ita Patrum ſuorum ſpiritale accepit Imperium, ut illi junxerit principatum in exteras nationes, quarum ipſe fuit expectatio & felicitas.

Variæ de Jacobæo Vaticinio Chriſtianorum ſententiæ.

VII. Circa hoc vaticinium diſſident inter ſe Interpretes noſtrates; volunt enim alii, nomine Judæ deſignari univerſam Hebræorum gentem, & poſteros omnes Jacobi, qui diſtinctum ſemper ab aliis populum conſtituerunt, ſuis ſubjectum Regibus, è gente ipsâ datis, uſque ad Jesum Chriſtum; poſt cujus obitum exciderunt Judæi à prærogativâ conſtituendi unum ſingularem populum, habendique proprios Reges. Porrò, hæc opinio faciliùs defenderetur, cum impleti oraculi fides ad ſenſum uſque pateat. Alii autem Judæ nomine deſignatam malunt unicam Tribum Judæ, in quâ poſt Jacobum, vel ſaltem poſt Davidem nunquam defuiſſe Principes contendunt, ampliori interdum, minori ſæpè authoritate, rerum in illâ potientes. Hæc autem ſententia magis Scripturæ cohærere videtur, quæ aſſerit, Jacobum benedixiſſe ſingulis filiis ſuis, *benedi-*

ctio-

(a) *Vide Calmet vv.* gratio, Sabbaticus. Captivitas, Tranſmi-

ctionibus propriis (*a*). Profectò ſi hìc nomine Judæ natio omnis Judæorum cenſetur, nihil peculiare enunciaſſet Jacobus in Tribum Judæ, adversùs conſilium à se initum & à Scripturâ notatum. Oraculo autem ſuam ſtetiſſe ſidem etiam in hac opinione, his demonſtrari poteſt. Egreſſis Judæis ex Ægypto, cum caſtra in deſerto locarentur, Tribus Judæ peculiari ſemper ratione obſervata eſt (*b*). Cum oblationes Tabernaculo ſiſterentur, omniùm prima veniebat (*c*). Sub Joſue hæreditatis ſortem ante cæteras obtinuit (*d*). Sub Judicibus ſelecta eſt, ut populo in Chananæos armato præeſſet (*e*). David ex eâ Tribu electus in Regem, longam Regum progeniem, aduſque captivitatem Babylonicam, propagavit. Premente captivitate, Judices, quos ex hiſtoriâ Suſannæ populum rexiſſe, intelligimus, facilè ex Tribu Judæ electi fuerant (*f*). Certum illud eſt, Evilmerodacum Jechoniam, Judæorum Regem, in ipsâ captivitate, è carcere liberatum, in honore habuiſſe, eique principem inter cæteros Aulæ ſuæ proceros locum conceſſiſſe (*g*). Salathielem quoque & Zorobabelem è Davidis familiâ, per id temporis primas habuiſſe inter Judæos, nemo ignorat. Cæterùm in continuatâ tot annorum ſerie nulla brevis illius temporis, quo duravit captivitas, ratio

(a) *Geneſ. XLIX.* 8.
(b) *Num.X.*14.*II.* 3.
(c) *Num.VII.* 12.
(d) *Joſue XVI.* 1.
(e) *Jud. I.* 2.
(f) *Daniel.XIII.*41.
(g) *IV.Reg.XXV.* 27. *Jerem.LII.* 31.

ratio haberi poſſet. Poſt ſolutam captivitatem poſteros Jacobi omnes; in se unam quodammodo congeſtos, repreſentabat, primumque adeò locum obtinuit Tribus Judæ, ut populus univerſus exinde non alio nomine, quàm Judæorum appellaretur. Si ſuprema authoritas ceſſit ſummis Sacerdotibus, & Machabæis, Aſmonæiſque, qui omnes ex Levi originem trahebant, authoritatem illam à Tribu Judæ acceptam tenebant, ejuſque nomine Rempublicam adminiſtrabant; quibus Judæi & ſpontè se ſubdiderant, & illis regnantibus factas Judæ à Jacobo promiſſiones expectabant, habebantque se veluti hæredes & ſucceſſores illius Patriarchæ. Herode tandem regnante qui alienus erat, & ab alienis, nempe à Romanis, datus, Sceptrum à Judæis ablatum eſt; quo quidem tempore Jesus Chriſtus ortus eſt. Si quis tamen ſtatuat, Sceptrum Judæorum adhuc perſeveraſſe ſub Herode, ejuſque ſucceſſoribus, quippe qui Principes agnoſcebantur ſub nomine Principum Judæorum, eamdemque cum illis Religionem profitebantur, reputandum utique non erit, eodem temporis articulo & naſciturum Meſſiam, & Sceptrum Judæ ſubducendum; ſed nunquam illud auferendum à Judâ, quin ſimul venerit Meſſias; & cum Sceptrum è Tribu Judæ translatum perpetuò videbatur, tunc certò tenendum, veniſſe Meſſiam.

VIII. Illa interpretatio: *Non auferetur Sceptrum & dux ex Judâ, donec de inter pedes ejus,* *Nova quædam explicatio rejicitur.*

ſive de femore, aut ſanguine ejus veniat Siloh: Illa, inquam, interpretatio ardua omnia ſubducit, cum illud tantùm innuat, nunquam à Deo Judam fore deſerendum; quin potiùs Judæ poſteros ſemper ſuper se Dei Sceptrum, adinſtar Regis, Legislatoris & Paſtoris uſque ad Meſſiæ adventum habituros. Oraculo ita reddito ſua certò conſtitit fides; nam uſque ad Meſſiæ tempora Deus peculiarem Tribûs Judæ curam egit; ſed poſt illa tempora, everſâ Hebræorum Republicâ per Romanos, Tribus illa cum aliis Tribubus confuſa eſt, eodemque cum cæteris fato obvoluta. Deus autem Judæis proſtratis, diſperſiſque per Orbem univerſum, ita terga vertit, ut eo tantùm conſilio reliquias populi ſervare videatur, quò luculentiora furoris ſui documenta exhibeat. Ut verum tamen fatear, in hac interpretatione ſeparatur *dux* ab illo *de femore ejus*; quod novum eſt, minùſque Hebraicæ ſyntaxi cohærens.

Benedictio Zabulonis. IX. Proſequens ſuas prædictiones Jacobus, ait, partem partem Zabulonis ad Mare uſque extendendam, ejuſque naves cum Sidone commercium habituras. Deus bone! Res poſt ducentum & ampliùs annos futuræ ita deſignantur, ut non oculis meliùs. Revera Zabuloni contigit terræ tractus, qui extremam orientalem oram habebat ad Mare Tiberiadis, occidentalem verò ad Mediterraneum; ex quâ navibus facilis, & vicinus erat ad Sidonem acceſſus. Cur autem Zabulon ante Iſſacharem, majorem licet

licet natu, benedictionem obtinuerit, prorſùs ignoratur.

X. Iſſachari benedicens ait: *Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos. Vidit requiem, quòd eſſet bona; & terram, quòd optima: & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſerviens.* Ita Vulgata. Chaldæus autem è contrario vertit: *Subjiciet provincias populorum, & erunt ei ſervientes & tributarii*; Chaldæum verò ſequuntur Judæi. Si Vulgatam ſequeris, Jacob ſegnem Tribûs Iſſacharis torporem deſignare videtur; maluit, inquit, illa in opimâ regione conſidere otioſa, contenta ſervire ac tributa pendere hoſtibus, quàm armis excutere à se jugum, & priſtinam recuperare libertatem. Alia verò interpretatio bellicam ejus Tribûs virtutem commendat, quod & Scriptura non ſemel facit (*a*); quibus deducta ex aſino ſimilitudo nequaquam adverſatur; Ajax enim, inſignis ille bellator, apud Homerum comparatur aſino, roboris & patientiæ causâ (*b*). *Benedictio Iſſachari.*

XI. Ad nomen Dan, quod judicare ſignificat, alludens Jacobus, prænunciavit, judicium illum exercitaturum in populum ſuum, non ſecus ac Tribus cæteræ. Porrò hæc vulgò ad Sampſonem referuntur, quem Tribus Dan, licet amplitudine minùs inclyta, populo Judicem dedit. Adjecit autem Jacobus: *Fiat Dan* *Benedictio Dan.*

 colu-

(a) *Judic.V.15.I.Paralip. VII. 2.*

(b) *Iliad. XI.*

coluber in viâ, ceraſtes in ſemitâ, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò. Explicat hæc omnia Onkelos de eodem Sampſone, qui bello afflixit Philiſthæos, dolo potiùs colubri & ceraſtis, quàm apertâ vì. Eſt autem ceraſtes, ſcilicet *cornutus*, anguis, arenæ colore ſimilis, quatuor inſtructus cornibus, juxta Solinum. Cum latet in arenâ, nonniſi cornua eminent, quorum motu, reliquo corpore occultato, ſolicitat ad se aves, ratas carnem eſſe, ipſæque fiunt anguis præda. Graphicè his pinguntur Sampſonis geſta. Plures ex Patribus dicta interpretantur de Antichriſto, quem credunt ex Dan oriturum; addentes inſuper, hæc in causâ fuiſſe, cur in Apocalypſi inter cæteras Iſraëlis Tribus Danitica non recenſeretur (*a*). Verùm hæc valdè obſcura ſunt, quin & maximè dubia. Præſtat itaque omiſſam reputare, quòd Dan unicum habuerit filium, ejuſque Tribus eſſet omnium infrequentiſſima, & decreviſſet Joannes Apoſtolus certum duodenarium numerum pro incerto uſurpare: quemadmodum Matthæus ter quatuordecim gradus in genealogiâ Chriſti recenſere cum ſtatuiſſet, in gratiam conſilii ſui, capita quædam omiſit (*b*). Poſt benedictionem Dan hanc aſpirationem interpoſuit Jacobus: *Salutare tuum expectabo, Domine*. Facilè his expreſſit vir ſanctus, ſalutem & libertatem

(a) *Apoc. VII. Iren. Hippol. Ambr. Aug. Gregor.*

(b) *Matth. I. 8. 9. 11. 17. Cluver. Hammond. Beda, Boſſuet, Calmet.*

tatem populi ſui expectare ſe non à Sampſone, aut à Danitarum artibus, ſed à Meſſiâ; ita enim interpretantur Onkelos, Targum Jeroſolymitanum, & alii plures. Dictum alii malunt de ipſo Sampſone, qui agnoſcit unicè ſibi à Deo expectandam ſalutem. Habent quidam perſuaſum, ſpectari hìc à Jacobo mala & ærumnas Tribûs Dan, quibus à Deo tantùm occurrendum expectat.

XII. Sortem Gad his aperuit: *Gad accinctus præliabitur ante eum; & ipſe accingetur retrorſum.* Gad, ſedibus trans Jordanem acceptis, unâ cum Tribu Ruben, & dimidiâ Tribu Manaſſis, trajecto tamen amne, in fronte totius exercitûs procedens, pro Israële arma in Chananæos intulit; eoque prælio egregiè confecto, armis protectus, & ſpoliis onuſtus ad propria remeavit. Hæc fortè ſpectavit vaticinium. Reddi tamen poſſet Hebræus: *Gad, exercitus turmatim conveniet adversùs eum: & ipſe turmatim conveniet ad vos perſequendos.* Perpetua eſt alluſio ad nomen *Gad*, quod eſt *turma*, & *acies*. Regio Galaaditis in ſortem Tribui Gad conceſſa, ſub jugum venit Ammonitarum, quibus duodeviginti annos ſervivit; ſed tandem Jephte habuit liberatorem (*a*). Direptionibus & latrociniis patebat Syrorum, Moabitarum, cæterarumque gentium, quas proximas habebat; ſed & ipſa pariter latrocinia & direptiones exercebat (*b*). *Benedictio Gad.*

(a) *Judic. X. 11.* (b) *Oſeas VI. 8. 9.*

Benedictio Aſer. XIII. His verbis concepta fuit Aſer benedictio: *Aſer, pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus*. Regione Aſer aſſignatâ nihil habebat tota Paleſtina pinguius, oleoque feracius. Porrò oleo in placentas ſubigebatur farina, cibum quidem delicatulum, Regumque convivio dignum.

Benedictio Nephtali. XIV. Benedicens Nephtali ait: *Nepthali, cervus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis*. Plerique hæc explicant de Barach, viro è Tribu Nephtali, qui cum primò timidus adinſtar cervi adverſus Chananæos pugnare metuiſſet, Deborâ deinde comite cervi ad inſtar velociſſimi illos perſecutus eſt. Eloquii verò pulchritudinem oſtendit in cantico, quod poſt victoriam unâ cum Deborâ cecinit (*a*). Tribus illa habuit urbem Tiberiadis, ubi Legis Moſaicæ Accademia erat. Sed quid cervo cum eloquentiâ? Septuaginta habent: *Nephtali, arbor emittens nova germina, dans in germine pulchritudinem*. De fertilitate regionis Nephtali hæc quidam intelligunt. Verùm germina illa fortè ſignificant ingentem hominum numerum, quo Tribus illa abundavit. Cum deſcendit in Ægyptum Nephtali, quatuor tantùm habebat filios; ex quibus tantus hominum crevit numerus, ut è regione illâ Tribus Nephtali ſupra 53. militum millia eduxerit.

Benedictio Joſephi. XV. Fuſiori eloquio expreſſit Joſephi benedictionem, dicens: *Filius accreſcens Joſeph, filius*

(a) *Judic. IV. 5.*

lius accreſcens, & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum. Joſephi nomen augmentum ſonat. Creſcebat autem in dies ille virtute, merito, famâ, authoritate; creſcebat & filiorum ſuorum Ephraim & Manaſſis privilegio, ex quibus duæ Tribus orituræ erant: quod fratrum ſuorum filiis conceſſum non fuit. Elegantia autem Joſephi convertit in ſe oculos filiarum Ægypti, quæ cum egredi è domibus ſuis non poſſent, ſuper tecta & muros conſtitutæ, illius aſpectu fruebantur. Plures, nec immeritò, vocem *filius* hìc uſurpatam credunt de ramo, ſive arbore ingenti, & *filiæ* de ſurculis, ſive arbuſculis, ut ſenſus ſit: Joſeph, ramus ex me productus, ita auctus eſt, ut altiorem fortunæ gradum aſſequutus, oculos omnium in ſe converterit; poſteri autem illius quamvis pluribus donis & ipſi augendi ſint, in comparatione tamen illius, graciles erunt, minutæque arbuſculæ, ceu hedera & hyſſopus, per muros reptantes. Profectò Onkelos & Targum Jeroſolymitanum notant, Joſephum veluti vitem eſſe plantatam ad aquas fontis; quod quidem multùm promovet hanc interpretationem. Jacobus deinde deſcribit, Joſephum ſummâ conſtantiâ dimicaſſe adversùs fratrum ſuorum molimina, adversùs heræ inſidias, calumniaſque; Deum verò ipſum à periculis omnibus liberaſſe, tantâque ornaſſe fortunâ, ut fieret *Paſtor & Lapis Iſraël*; à quo nimirum paſcerentur, & tutarentur pater & fratres illius. Quatuor poſtea bene-

nedictionum genera illi imprecatur: I. Pluvias & ros Cœli; II. Scaturigines aquarum; III. Lactis & butyri ubertatem; IV. Filiorum & gregum copiam. His contenta erat veterum Patriarcharum ambitio; utpote qui agreſtem agebant vitam, paſcendis gregibus occupatam. Benedictioni tandem finem imponens vir ſanctus, profitetur deſiderare ſe, ut in caput Joſephi, qui inter fratres ſuos eſt veluti *Nazaræus*, ſcilicet coronatus, diſtinctus, excellens, congerantur nedum proſpera omnia, quæ ſibi à patribus ſuis fuerant imprecata, ſed & multò majora; rogatque Deum, ut perſeverent illa, *donec veniat deſiderium collium æternorum*, ideſt Meſſias, vel juxta alios, exitus Mundi, cujus duratio duratione montium menſuratur. Si tamen diverſam à vulgatâ interpretationem ſequamur, optat Jacobus, ut collatæ à ſe benedictiones in Joſephum, tantam illi largitatem conferant bonorum, tam uberes divitias fructuum vini & olei, quot ſuppeditant antiqui & fertiliſſimi colles. *Deſiderium collium æternorum*; id ſignificare poteſt, quod amabile & pulcherrimum in vetuſtis collibus reperitur. In benedictione Joſephi multa ſanè ſunt, quæ interpretem deſiderant.

Benedictio Benjamini. XVI. Tandem de ultimo filio ſuo prophetavit Jacob: *Benjamin, lupus rapax, mane comedet prædam, & veſpere dividet ſpolia*. Hebræus habet: *Rapiat in diluculo, & comedet etiam, & in veſperâ dividet ſpolia*; ſcilicet Benjamin

eſt

eſt lupus rapax, qui etiam mane vorat prædam, & adhuc ſupereſt quod dividat veſpere. Hæc à multis ex noſtris de D. Paulo, qui ex Benjamino originem trahebat, explicantur. Primò enim ſæviit in naſcentem Eccleſiam, ſed tandem reſipiſcens, ſpoliis ex inimicis Jesu Chriſti captis, ſacris nempe Scripturis, illam ditavit. Juxta Hebræorum Doctores & Chaldæum, his inſinuatur, Sacerdotes veſpere & mane obtuliſſe victimas in Templo Domini, ædificato in parte, quæ Benjamino contigit; veſpere autem ſingulorum dierum oblationes illas inter ſe ſe diviſiſſe. Dictum alii malunt de crimine Benjamitarum, atque injuriâ in uxorem cujuſdam Levitæ irrogatâ (*a*). Indoles violenta, audax, & ferox ejus Tribûs Jacobi vaticinio ſanè exprimitur.

XVII. Prænunciatâ ſupra ſingulos filios futurorum eventuum ſerie, omnes illos obteſtatus eſt, ut mortuum corpus ſepeliendum curarent in ſpeluncâ ſitâ in campo Ephron Hethæi, ubi Abrahamus, Sara, Iſaacus, Rebecca, & Lia condebantur. Lecto aſſidens, & pedes habens ad anteriorem partem porrectos, verba faciebat Jacob ad filios ſuos. Finito autem ſermone, recubuit iterum, reductiſque ſuper lectulum pedibus, expiravit, ætate 147. annorum grandævus. Joſeph in faciem demortui demiſſus, & lacrymatus uberrimè, pluries patrem oſculatus eſt; cujus deinde cadaver ab Ægyptiis medicis aro- *Obitus Jacobi.*

(a) *Judic. XIX. 20.*

aromatibus juſſit perfundi. Scribit Moyſes, medicos illos muneri ſuo implendo ſpatium 40. dierum impendiſſe, tempus pro eâ re nequaquam inſolitum; Ægyptios verò funus illud ad ſolidos 70. dies protraxiſſe. In hanc rem opportunè adduceretur, quod in côndiendis cadaveribus ſervatum tradunt Herodotus (*a*), & Diodorus Siculus (*b*). Accitur is, qui Scriba appellatur; poſitoque humi corpore, circa ilia deſcribit quantum à ſiniſtrâ parte incidatur. Deinde qui dicitur Sciſſor, acutiſſimo lapide, quantum lex finit, latus aperit: ſubitoque curſu, perſequentibus, qui adſtant, lapideſque in eum, velut impium, jacentibus, fugit. Succedunt Corporum curatores, quos Salitores vocant. Hi ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, vacuum ejus locum medicamentis adſtringentibus explentes. Tum ubi per ſciſſuram lateris interiora corporis, illuc protracta repurgarunt; ac vino palmeo, aliiſque odoribus acribus, penetrantibuſque eluerunt, corpus totum primùm ex cedro cum aliis pretioſis unguentis ungunt, dies ampliùs triginta: myrrhâ dein ac cinnamomo cæteriſque rebus liniunt, quæ non ſolùm id ſervare diutinè, ſed & odoriferum reddere queant. Servatur autem adeò, ut ne palpebrarum quidem, ſuperciliorumque pili tabeſcant. His peractis, in ſale vel nitro per dies 40. ſervatur: quod carnes exſiccat,

(a) *Herodot. l. XI. c.* 86.

(b) *Diodor. l.XI.c.* 5.

ſiccat, mortuique tantùm cutem oſſibus inhærentem relinquit. Ita funus ſpatio 70. dierum perficitur; funus planè Regium, & ampliſſimorum virorum; quo Joſephus patri ſuo parentari voluit. Exactis 70. diebus, cadaver abluunt, lineiſque loris myrrhâ madidis totum corpus involvunt, gummi quodam illinientes, quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur. Ita curatum cadaver cognatis tradunt defuncti, qui in feretro antea præparato, recondunt, atque apud ſe honeſto in loco, vel in ſepulchris propriis reponunt. Corpora ita arefacta voce Perſicâ *Momias*, ſive *Mumias* appellamus: quæ tantâ duritie concreſcunt, ut vix malleorum ictibus fruſtula decerpantur. Cum aliquis Ægypto deceſſit alicujus momenti homo, ibi omnes fœminæ illius familiæ caput & vultum oblinunt luto (*a*); deinde per totam urbem vagantes plangunt, nudatis mammillis, & cum eis proxima quæque. Alterâ ex parte viri, & ipſi nudato pectore ſe verberantes magnis ejulatibus indulgent. Lugubris illa cæremonia tandiù perſeverat, quandiù cadaver in feretro non reconditur. Toto eo tempore arcentur balnea, ſolemnes veſtes; cibus vulgaris, nullus vini uſus. Huc ſpectat Moyſes, dum narrat, Jacobum ab Ægyptiis ſolidis 70. diebus defletum?

XVIII. Quamquam præſcriptum funeri Jacobi tempus elapſum fuiſſet, funebres tamen veſtes luctumque Joſeph non dimiſerat, quod patrem *Jacobi cadaver in Chananitide ſepelitur.*

(a) *Mela l. 1. c. 9. Herod. & Diod. ubi ſupra.*

trem nondum ſepeliſſet. Quâ ergo erat in Regem reverentiâ, ad cujus conſpectum atratis venire nefas erat (*a*), per Regis adminiſtros petiit ab eo, ut ſibi, patris juſſionibus implendis liceret illius cadaver in Chanaanitidem deferre, ſepulturæ ibi mandandum. Permittente Pharaone, Joſephus, Regni Optimatibus, Aulæque Proceribus honoris gratiâ comitantibus, in regionem Chanaan unâ cum fratribus, ac totâ familiâ, parvulis tantùm in Geſſen & armentis relictis, iter ſuſcepit. Cum autem ad Aream Atad, trans Jordanem, perveniſſent, luctum ſeptem diebus innovarunt, ac tandem Jacobi cadaver in ſpeluncâ, in quâ ſepulchrum ille ſibimet olim exciderat (*b*) juxta patrum ſuorum monumenta, ſepelierunt. Loco verò luctûs nomen inditum: *Planctus Ægypti*.

Jacobus Jeſu Chriſti typus.

XIX. Jacobus vaticiniis ſuis non tantùm Salvatorem venturum prænunciavit, ſed & illius etiam figuram in vitæ ratione, viciſſitudinibus, fugâ, & nuptiis expreſſit. Nunquam non ſapiens, modeſtus, fidelis, Deo prædilectus; & cum tantus vir eſſet, nequaquam tamen à perſecutionibus & injuriis immunis fuit; typus proinde illius, qui, cum nullâ vel minimâ peccati labe inficeretur, *Vir tamen erat dolorum*, & *ſciens infirmitatem* (*c*). Jacob fide plenus nequaquam decipi ſe permiſit fucatâ illâ ho-

(a) *Geneſ. XLI. 17.*
(b) *Geneſ. L. 5.*
(c) *Iſai. LIII. 3.*

honoris & dignitatis ſpecie, quam in Joſeph filio ſuo ſpectavit. Suam inſuper familiam in optimâ Ægypti regione conſtitutam alieno ſemper animo vidit; altè enim ſpe promiſſionum ſibi & Patribus ſuis factarum, occupatus, de alterâ regione, atque alterâ proſperitate ſolicitus, vel corpus ſuum ſepulturam in Ægypto obtinere vetat; diſtribuitque filiis ſuis regionem, quam ipſe deſeruerat, poſſidebantque populi potentiſſimi æquè ac ſibi infenſiſſimi; atque ita diſtribuit, veluti ſi quietum haberet illius dominium. Quàm luculentum profectò argumentum fidei, & fiduciæ Jacobi, quâ divinas promiſſiones expectabat? Hebræi Jacobum potiſſimùm patrem & authorem agnoſcunt; nam ex Abrahamo Iſmaelitæ quoque, genteſque aliæ, quemadmodum ex Iſaaco Idumæi, originem trahunt; Ex Jacobo verò tantùm Hebræi. Nil ergo mirum ſi nomine Jacobi, vel Iſraëlis omnis Hebræorum, ſive Judæorum populus deſignetur.

XX. Ubi Joſeph, juſtis patri ſolutis, in Ægyptum reverſus eſt, veriti fratres, ne, patre ſublato, injuriæ vindicem experirentur, illi renunciari fecerunt, se juſſos à patre morituro, ut hæc illius verba ad ipſum deferrent: *Obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te:* eadem verò & se enixè expoſtulare. Mendacium hìc nonnulli ſuſpicantur. Utcunque res habuerit se se, auditis patris verbis, Joſeph *Obitus Joſephi.*

la-

lacrymatus eſt; fratreſque dein ad ſe accedentes comiter alloquutus, bono eſſent animo, juſſit, ſcirentque, ex illorum nequitiâ, Deo ita diſponente, proſpera cuncta profluxiſſe. Decem ſupra centum exactis annis, & uſque in tertiam generationem viſis nepotibus, gravi laborans valetudine, fratres interpellavit, ut ſua oſſa aſportaturos ſacramento ſponderent, ubi Deus ad terram patribus promiſſam de Ægypto egreſſos adduceret. Abſumpti corpus de Ægyptiorum more curatum, incluſumque loculo tamdiù ibi manſit, quamdiù illi in eâdem regione ſubſtitêre. Egreſſi verò ex Ægypto Hebræi illud ſecum detulerunt, atque prope Sichem in agro, ei à Jacobo legato, tumulatum eſt.

Joſephus Jeſum Chriſtum exhibet. An ab Ægyptiis ſub nomine Apidis, ſive Serapidis, cultus fuerit?

XXI. Joſeph meritò locum ſibi vendicat inter ſummos viros, quos Deus infinitæ ſapientiæ ſuæ & altiſſimorum conſiliorum adminiſtros conſtituit. In rebus ab eo geſtis ſpectanda eſt mira illa rerum mutatio, quâ Creatoris æquitas ejuſque providentia probatur, nunquam non intenta, ut opem ferat iis, qui ſpem ſuam omnem in illo collocant: Joſeph à fratribus divenditus, ſummam dignitatem obtinet in Ægypto. Nonne his Chriſtus deſignatur, qui Patri ſuo eximiè charus, invidiam ſuſtinens & livorem Phariſæorum, à Judâ traditur, à Judæis poſtulatur ad crucem; ſed ſuâ ille morte promeretur gloriam ſuam, fitque Mundi totius ſalus. Ægyptios Joſepho ſub formâ Apidis, ſive

ve Serapidis, cultum exhibuiſſe, plures viri docti, Rufinus, Julius Firmicus, Voſſius, Onzelius, Spencerus, aliique autumarunt. Hanc autem opinionem fulciunt ex affinitate plurimâ rerum inter Joſephum & Serapidem. I, Serapis, vel Apis circa eadem tempora ac Joſeph floruit. II, Aſſerunt, Serapidem meritò liberatæ Ægypti à ſæviente fame, divinos honores conſecutum. III, Propoſitum ad cultum Numen illud ſub bovis vel tauri imagine, agriculturæ & fertilitatis ſymbolo. IV, Pingebatur etiam ſub ſpecie imberbis adoleſcentis, ferentis ſupra caput calathum & ſpicas, qui typus erat frumenti & rationis illius parandi, cujus inventæ honor Oſiridi tribuitur. V, Aſſerit Plutarchus, Serapidis alterum fuiſſe nomen Oſiridem, vel Arſaphem; quod poſtremum radicem continet nominis Joſeph. VI, Pharao Joſephum appellavit *Abim* (a), patrem meum, quod cum *Api* ferè congruit. VII, Serapis cum Apide confundendus creditur, eo tantùm inter illos diſcrimine conſtituto, quod eſt inter bovem vivum, & mortuum alterum, atque in feretro conſtitutum. Quamdiù vivebat, taurus Apis erat; poſt obitum in Serapidis nomen & cultum tranſibat; *Soros* enim *Apidis*, ex quo facilè Serapidis, Græcè eſt *Feretrum Apidis*. Cum autem inter Joſephum, Apidem, Serapidem, Oſiridem lineamenta ſimilitudinis ſpectare liceat, inde perſuaſio facta, Ægyptios ſub variis

(a) *Geneſ. XLV.* 8.

riis hiſce Numinum emblematibus Divinos honores tribuiſſe Joſepho. Sed hæc utique infirmiora ſunt, quàm ut aſſenſum extorqueant. A' vero prorſus abludit, Ægyptios conſecraſſe Joſephum, virum alienæ Religioni addictum, quique ab illorum ſuperſtitionibus vehementer abhorruerat: tum maximè cum novus in Ægypto Rex, qui Joſephum minimè norat, Hebræos durâ ſervitute opprimeret. Quo pacto Ægyptii permiſiſſent, ſervari ab Hebræis lypſana Joſephi, Numinis ſui, ac aliò ex Ægypto transferri? Superſtitio Ægyptiorum ætate Joſephi conſtabat, quidquid Grotius in contrarium dicat; id enim probant Divini illi, quos de ſomnio ſuo conſuluit Pharao; propenſio Ægyptiorum in ſomnia, & auguria; Sacerdotibus exhibitus honor & exemptiones. E' familiâ Cham, qui frequentavit Ægyptum, ortum & incrementum Idololatriæ repetendum eſſe, ne ambigimus quidem. Porrò in religione Ægyptiorum nil vetuſtius Apidis cultu, Bovis ſcilicet, quem Soli conſecratum, in Urbe Solis, Græcè Heliopoli, alebant.

FINIS TOMI PRIMI.

MAG 752

Digitized by Google